PETRI MOLINEI

DE MONARCHIA TEMPORALI

Pontificis Romani

LIBER,

Quo Imperatoris, Regum, & Principum jura aduersus vsurpationes Papæ *defenduntur;*

Et docetur quibus artibus Papa ab humili *statu ad tantæ potentiæ culmen ascenderit:*

& liber SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS IACOBI ab aduersariorum obiectionibus, præcipue vero Roberti Bellarmini, & *Coffetelli Dominicani, vindicatur.*

2

LONDINI

Ex officina NORTONIANA apud *Iohannem Billium.*

1614.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO MAioris Britanniæ & Hiberniæ Regi IACOBO. I. Defensori fidei.



Ereor equidem, Rex maxime & sapientissime, ne parum prudenter ad Libri tui defensionem animum appulerim, & meam ipse famã prodegerim, dum defendo tuam. Nam nec fortunæ tuæ splendor meâ operâ indiget, nec tua incomparabilis doctrina cuiusquam defensionem desiderat. Illi ipsi qui potentiam tuam oderunt, sapientiam tamen admirantur. Quod si velles

petere ab alienis ingenijs auxilium, non essent ea extra tuam ditionem conquirenda. Habes enim Regna amplissima feracia ingeniorum, & turbam doctorum a quibus longo interuallo relinquimur. Spero tamen apud optimum Regem facilem veniam. Non enim scribo quasi laturus opem laboranti, aut sustentaturus tuũ opus nutans supposito tibicine. Næ ego ineptus sim, si coner aliquid scribere quo Regij libri splendor magis enitescat. Aliæ mihi causæ scribendi & necessariæ. Cùm enim aures nostræ personent calumnijs quibus homines maleuoli religionem nostram infamant, quasi non sibi constantem, & toto cœlo distantem ab ea quæ in tua Britannia obtinet, planè necessarium est ire obuiam calumniæ, & nostram vobiscum consensionem publicè testari. Adde quod hodie vera religio per tuum latus præcipue petitur, & sub obtentu confutationis libri Regij vera fides conuellitur. Indignum ergo

cùm

cùm inter Gallos inuenti ſint qui diuinum præſtantiſsimi Regis opus auſi ſunt ſcriptis inceſſere; ſi inter bonos nemo inueniatur qui ſe tam temerarijs ingenijs opponat. Labor quidem magnus, vires vero meæ paruæ: tum vitæ genus occupatum abrumpit ſæpius in hora filum ſcriptionis, & quod ſcribimus vbiq; incipit. Nec me latet quam ſit difficile paria facere cũ argumento ſublimi, & tui libri ſenſus plenos ponderis pari oratione conſequi. Sed me recreat vis incredibilis ingenij tui, & quaſi propinquo ſidere illuſtrat. Nam ſub auſpicijs tuis certare, non tam eſt inire pugnam quam ſequi victoriam. Cumq; telũ veritatis ſuapte natura ſit acutiſsimũ, pro validitate tamen lacerti maiorem vel minorem plagam facit. Non eſt ergo quod miremur ſi hoc telum tam potente manu contortum, errores ingenti vulnere confodit. Quapropter huius tui laboris nos quidem capimus fructum, tu gloriam: Non

 enim

enim tantum ſcribimus ſub tuo auſpicio, ſed etiam ſub exemplo: Enimuero oportet te imitetur quiſquis te vt par eſt defenſurus eſt: eſq; idem & materia ſcriptionis noſtræ, & regula. Vnde fit vt mei laboris ad tuum nulla ſit comparatio: Tu regia manu fundis opes in ſacroſanctum gazophylacium, at ego ad inſtar paupertinæ illius viduæ infero hos duos quadrantes.

Ad iſta incitamenta ſcribendi hoc inſuper accedit, quod video Regum noſtrorum cauſam cum tua eſſe coniunctam: quorum dignitatem acciſam & vitam parum tutã videmus, & fruſtra lamẽtamur. Nec alia huius mali cauſa quam quia documenta libro tuo contenta, a Principibus & populis, aut ſegniter accipiũtur, aut timide creduntur. Faxit vero Deus ne tuæ iſtæ grauiſſimæ commonefactiones Nobis ſint vaticinia. Nam quis poſt duos Reges potentiſſimos a ſuis trucidatos ſecurus ſit de tertio? Quod niſi tempeſtiuis remedijs occurritur

curritur, deinceps Regem esse genus erit pœnæ, & nostrorum Regum inauguratio, nihil aliud erit quam consecratio victimæ neci destinatæ: Nam simul ac aliquem zelus domus Dei non quidem tuendæ, sed euertendæ perculerit, habet in cæde regum vidénda quæ sequatur exempla, immo & post hanc vitam spem futuræ gloriæ, titulumq; martyrij. Quibus in malis si publicæ calamitati ingemiscimus, ignoscent nostro dolori Principes nostri Clementissimi & maximi. Qui quidem toties experti fidelitatem nostram in rebus dubijs, interq; belli pericula, non offendentur, spero, hoc nostro studio erga religionem quæ nos docet esset fideles & bonos, & quæ summo studio instillat subditis fidem erga Reges & reuerentiam. Neque enim descendimus in hunc campum ducti cuiusquam odio, sed zelo Dei, & erga illos ipsos quibus sumus inuisi commiseratione; qui quidem æstu multitudinis abrepti, malunt

lunt sequi quam discere: vsque adeo vt iam verbum Dei incipiat esse suspectum, & plurimorum iudicio nota sit hæreseos sacram Scripturam attingere. Quorum quidem saluti vellem equidem vel vitam impendere, quamuis ita sint animati vt putent crimen esse quod viuimus. Quem fatalem morbum quotiescunque mecum ipse voluo, non possum non dicere beatam Ecclesiam, quæ tanti mali expers viuit sub vmbra tui imperij. Felicem sanè hoc Rege, qui cùm ad regnum hæreditario iure peruenerit, si tamen spectes ornamenta animi, videtur ad id quæsitus potius quam natus, regnumque adeptus electione non sorte nascendi; cæteris maior, quia melior. Rex nimirum quem zelus domus Dei vrit, & acribus aculeis suscitat: Rex qui primam virtutem regiam putat esse cognitionem Dei cuius vices in terris obit: Rex qui solo aspectu errores difflat & dissipat, & qui ad discernendum falsum à vero non opus habet

bet cuiusquam adiumento, ipse per se egregie instructus aduersus eorum technas quibus ignorantia regum vectigalis est. Nam ab aliquot retro seculis Papa in hanc curam totus incubuit, ne Reges scirent quid sit religio Christiana, neue ex quibus fontibus sit petenda cognoscerent, sed putarent hanc curam relinquendam ijs qui initiantur sacris. Quod negotium vsque adeo ei processit, vt non modo Reges assuefecerit credere aliena fide, sed & ad alterius nutum imperare: Nam post confixos vigilibus oculos, parta fallendi securitate, incredibiliter in conscientias, & per conscientias in ipsa regna grassatus est. At Deus in lege diserte iubet Regem habere prae manibus legem diuinam, eam voluere de die & de nocte, eamque iugiter habere in oculis & in corde. Nunc vero (pudet dicere) Euangelij lucerna occultatur sub modio superstitionis, & a regum oculis sedulo amouetur, ne quid inde haereseos imbibant.

Deuter. 17. 18.

bant. Vah quanto stetit populis exitialis illa opinio, eruditionem & verbi diuini studium indignum esse Regali fastigio! Quid enim? An digne exercebit diuina Iudicia homo ignarus diuinæ voluntatis? An vir pro salute populi excubans ignorabit viam salutis? Profecto si Reges nostri qui vixerunt sex aut septem abhinc sæculis, habuissent portionem istius lucis & doctrinæ quam Deus tibi plena manu admensus est, staret adhuc regalis coronæ honos illibatus, nec vnquam Monarchia Papalis superasset Alpes, & Gallicana Ecclesia adhuc vteretur suo iure, suisque Concilijs regeretur, haberetque liturgiam sermone vernaculo, nec quæ supersunt veteris libertatis vestigia, priuilegia vocarentur; nec tanti imperij Maiestas quod solebat leges dare non accipere, turpi seruitio sub pietatis obtentu premeretur. At tu Rex, insigne huius seculi ornamentum, vindex veræ religionis, & per religionem, libertatis signo ad salu-

tem

tem ſublato, dediſti inſigne documentum eas demum beatas eſſe Reſpublicas in quibus aut docti regnent, aut Reges ſedulo doceantur. Mirabuntur poſteri in tanta fortuna tantam eruditionem, cum pari erga Deum pietate: Et tua laus victrix aduerſorum Iudiciorum inijciet alijs regibus amorem cæleſtis ſapientiæ, & ſanctam curioſitatem. Det vero tibi Deus tuus qui te in thronum euexit, & ſacrum hoc pectus ſuo ſpiritu afflauit, vt talentum quod Maiores tui defoderant, in dies augeas, teque protegat aduerſus eorum conatus, qui aut tuam laudem oderunt, aut tuæ vitæ inſidiantur.

(*‸*)

rem publica dedit Magne documentum
cas demum beatas esse Respublicas in qui-
bus aut docti regnent, aut Reges studio do-
ceantur. Mirabuntur posteri in tanta for-
tuna [illegible], cujus fuit erga
Deum pietas [illegible]
rum Judiciorum injiciet, aliis regibus amo-
rem cœlestis sapientiæ, & sanctam curiosi-
tatem. [illegible] Deus [illegible] in
thronum [illegible] hoc [illegible]
[illegible] quod Maiores
tui [illegible] regique pro-
[illegible] qui
aut tuam laudem oderint, aut
tua vita [illegible].

C. V.

[illegible]

C. VI.

[illegible]

Index Capitum.

Impera-

Imperatores Romanos, & Reges Italiæ, habuisse potestatem in caput, fortunas, & sedem Pontificis Romani. Papam non ita pridem cœpisse Romam possidere sub titulo supremi Principis.

Cap. XV.

In qualibet gente Episcopos, & clericos semper fuisse subditos Regibus & Principibus illius gentis.

Cap. XVI.

Papam ius conuocandi Concilia & in eis Præsidendi Imperatoribus & Regibus ademptũ ad se traxisse.

Cap. XVII.

Concilia posterioris æui, a veterum Conciliorum forma & doctrina procul abscessisse. Forma & ordo Conciliorum Papalium exponitur.

Cap. XVIII.

Ventilatur quæstio de exemptionibus Clericorũ.

Cap. XIX.

Exẽptionẽ Clericorũ aduersare sacræ Scripturæ.

Cap. XX.

Idem probatur rationibus.

Cap.

De MONARCHIA Temporali Pontificis Romani.

Caput Primum.

Quid Regem Serenissimum ad scribendum impulerit. De libris Cuffetelli, Bellarmini; & Coquæi aduersus Regem, iudicium.



OLET fulmen frangere obstantia, mollia vero & cedentia lambere leuiter, aut intacta relinquere. Hoc nimirum habet à Deo qui solet protercre duros & rebelles, parcere humilibus. Non sic Pontificis Romani fulmina: nocent enim si timeas, si vero contra animum obfirmes, impunè contemnuntur: nec aliter cadunt quàm fulmina in mare. Immo etsi quem attigerint, beant, & faciunt Deo chariorem: Iuxta illud Dauidis: *Maledicent illi, tu autem benedices.* Psal. 109. v. 28.

Testis mihi Regina Angliæ Elizabetha felicis memoriæ, cui inter diras Papales & Vaticana fulmina Deus dedit pacem diuturnam, subditos fideles, felicitatem sine exemplo: donec rebus

humanis exempta regnum terrestre cum cœlesti commutauit.

Eius morte pax videbatur adempta Angliæ, & diuersi motus metuebantur. Angli enim Pontificij ad omnem motum intenti res nouas animo agitabant. Siue illos ficti rumores ad inanem spem erexerant, seu quia mortuo Principe à successore meliora expectantur. Seu quia homines quibus res minus sunt secundæ solent optare rerum immutationem: sed Dei benignitate factum est ne hæc vlterius procederent. Nam Anglorum animos inter spem & metum fluctantes paulo post composuit IACOBI I. legitimi hæredis aduentus, non secus ac Sol oriens purgato aëre nebulas dissipat.

Fuerat animus Regis mitissimè cum pontificijs agere; sed eius clementia cessit necessitati: vidit enim non agi tantū de religione, sed & de pace sui regni: suamq; ipsius vitam & coronam hoc facto in discrimen adduci. Nec posse sine periculo cœtus publicos concedi hominibus quibus persuasum est Papam posse Reges deturbare solio, & subditos liberare sacramento fidelitatis: subijt quoque eius animum memoria suorum decessorum quos Papa fœdæ seruituti mancipauit, Angliam faciens Papæ Dominium, & feudum Ecclesiæ Romanæ, Regibus Angliæ ad tam turpe seruitium deuolutis, vt & tributum Sedi Romanæ penderent, & Legatis Papæ latus clauderent, & coronam ad eorum genua summitterent. Voluit tamen Rex humanissimus, Pontificios frui ea libertate qua per leges licebat, Gnarus pietatem non dari per

Vim

vim, ſed ſuaderi, & in religionis negotio inſitum eſſe omnibus velle potius duci quàm trahi. Tunc ſolere vim adhiberi cùm deſunt rationes, veritatiſque præſidia. Quin & Pontificios annua taxatione liberauit, multos ex eis equeſtri dignitate ornauit. Faciles & ſine diſcrimine ad Regem acceſſus, & benigna colloquia.

At Pontificijs per hæc non eſt ſatisfactum; ſed magna expectatione depulſi, vertunt deſperationem in iracundiam. Conflant conſpirationem quæ Regem, Reginam, regiam prolem, Senatum, regnique totius ordines pro more congregatos pari ruina inuolueret. Conſilium erat actos cuniculos ſub domum Parlamenti implere puluere tormentario, qui, concepto igne, Regem, regalemque familiam, totiuſque regni florem vno impetu difflaret, & in cœlum viâ compendioſâ tranſmitteret. Tum ſi quibus flamma pepercisſet aut ruina, ad necem deſignabantur. Nihil ingenioſius eſt ſuperſtitione quam furor incitauerit. Horret animus meminiſſe ſceleris prodigioſi. Inuenit Princeps huius mundi facinus nouum, atrox, nullis adhuc hiſtorijs proditum, & quod apud poſteros ægrè fidem inueniat. Interea per familias Papiſtarum concipiebantur vota, preceſque erant indictæ, flagitantes à Deo ſucceſſum tam diræ conſpirationis, cuius conſcij iureiurando diriſque deuotionibus ad fidem & ſilentium ſeſe obſtrinxerant, & communione ſacramenti ſeſe ſubinde ad preſentiam animi hortabantur. Iam erant acti cuniculi, jam puluis aggeſtus, inſtabatque dies condictus patrando facinori, cum repentò patuerunt

arcana coniurationis. Impositi equuleo sontes rem vt erat fassi sunt. Eisque indicibus comprehensi conscij affecti sunt capitis supplicio legibus constituto, neque enim vltra sæuitum est. Et cùm plurimi pari crimine attinerentur pœna tamen intra paucos stetit. Quorum de numero fuerunt Iesuitę Garnetus & Oldcornius. Qui postquam per dies plusculos essent æquiuocationibus judices ludificati, tandem videntes nullum superesse locum dissimulationi, fassi sunt se quidem resciuisse coniurationem, sed rem sibi sub sigillo confessionis reuelatam sine scelere vulgari non posse.

Docent enim leuiori peccato permitti Regum parricidia, & euersionem rerumpublicarum quam, confessionis arcana reuelari: Acti ergo in crucem ob hanc religionem. Quanquam & eos instigatores facinoris & inuentores præcipuos fuisse satis constabat. Horum duo Garnetus & Oldcornus Romæ sunt in album Martyrum relati. Hæc est parricidij merces, hæc sacrosancti tituli scelerata dehonestatio.

Minor iniuria potuisset vel clementissimi Principis vincere patientiam. Cohibuit tamen iram Rex optimus, voluitq; vt ad omnes sontes metus, ad paucos pœna perueniret; fuitque ingeniosus ad inueniendas causas ignoscendi. Cogitauit magnam esse vim superstitionis ad efferanda hominum ingenia: paucorum supplicio bonos fieri securos, malos verò bonos. Aut certè non inueniens in reis causas ignoscendi, in se ipse inuenit: Nam si indigni erant Regis clementia, at dignum erat

eius

eius bonitate benefacere indignis. Tum illud subijt, Deum pluuiam de Cœlo mittere non modo in segetes & fel ces arbores, sed etiam in lappas & carduos, & Solem suum facere oriri super bonos ac malos. An & clementiam adiuuit fastidio, reputans inimicos indignos sua iracundia.

Veruntamen vt deinceps eiusmodi coniurationibus iretur obuiam, visum est Regi & Parlamento concipere formulam juramenti in quam ab omnibus Anglis sanctè iuraretur: Summa juramenti hæc est: *Agnoscere se Iacobum, Regem legitimum & verum, Papam non habere authoritatem Regem abdicandi, aut regno vel regni parte multandi, vel vllos subditorum Regis exonerandi obedientia & subiectione, aut ad arma aduersum Regem concitandi. Iurare ex animo se non obstante qualibet declaratione Papali, aut sententia excommunicationis, vel exauctorationis contra Regem aut eius hæredes, fore fideles & obsequentes Regiæ Maiestati, eiusq; successoribus, eorumq; vitam & coronam pro virili defensuros. Quin & patefacturos proditiones & conspirationes aduersus Regem & Regis domum quascunq; resciuerint. Detestari se vt hæreticam & abominandam illam propositionem, quæ asserit principes excommunicatos posse à suis subditis aut ab alijs quibuscunque exui regno aut occidi. Se renuntiare omnibus indulgentiis & dispensationibus quibus vel Papa vel alius quispiam volet eos ab hoc iuramento aut parte iuramenti dispensare. Hæc à se iurari sincerè & vt sonant verba, absque vlla æquiuocatione vel mentali euasione.*

Hoc iuramentum vbi oblatum est Pontificijs, multi in hanc formulam sine contatione iurauerunt, siue hoc metu ab eis factum, siue quod reuera ita sentirent, & puluerariæ istius proditionis atrocitatem abominarentur. præ cæteris vero Blackuellus Archipresbyter.

Quæ postquam Paulo V. Papæ nunc regnanti renuntiata sunt, ratus suæ Monarchiæ iura violari, mittit confestim in Britanniam Breue, aut vt alij, litteras Apostolicas Datas Romæ, ad X. Calend. Octobris 1606, quibus ptonunciat, *Hoc Iuramentum salua fide* Catholica, *& salute animarum præstari non posse. Hortatur Anglos vt exemplo martyrum acerbissima quæque tolerent, & mortem potius oppetant, quam Dei maiestatem hoc Iuramento lædant. Stent lumbos virtute succincti, induti loricam Iustitiæ, sumentes scutum fidei, Deum non relicturum eos orphanos, & bonum opus quod in eis cœpit perfecturum. Hortatur denique per viscera Domini Iesu Christi vt seruent præcepta, Clementis VIII. decessoris sui contenta literis ad Georgium Archipresbyterum Angliæ.*

Hæ literæ in Angliam perlatæ, non eo successu quē Papa sperabat acceptæ sunt. Conquerebantur multi ex Pontificijs iusiurandum hoc dānari a Papa, vt aduersum fidei Catholicæ cùm tamen in eo de fide & religione ne verbum quidem: Saltem docuisset sua Sanctitas quid in hoc iuramento sit aut impurum, aut subdolum. Erāt qui

qui ineptas cenſerent has litteras, quippe quæ hortarentur ad martyrium petendum per proditionem & ſcelera: cum ad martyrij coronam non niſi per virtutem & pietatē perueniatur. Erant & qui cohortationes ſacræ Scripturæ ad fugienda vitia & ad perſeuerantiam in fide, perperam in his litteris trahi ad rebellionem ſuadendam indignarentur, & incitamenta pietatis indignè verti in fomites ſeditionis. Quin & ſuperſtitioſiſſimi quiq; Papæ crudelitatem incuſabant, & ſe in has redigi anguſtias vt aut proditionis pœna ſit ſubeunda, aut periclitandum de ſalute animarum lamentabantur. Nempe (inquiebant) de noſtro corio luditur; & bonus iſte Paſtor vitam ſuarum ouium vt rem nullius pretij certiſſimis cruciatibus addicit: ipſe ſecurus & in ſummis opibus & delicijs expers periculorum. Alij fictas ab hæreticis litteras (ſic enim nos appellant) ad proritandum Regem ſuſpicabantur.

At Pontifex poſtquam reſciuit litterarum ſuarum fidem in dubium vocari, alias litteras ſcribit quibus acriter caſtigat immorigoros, & confirmat dubitantes, iubetque hoc Iuramentum ejurari. *Miratur potuiſſe a quibuſdam vocari in dubium fidem litterarum Apoſtolicarum, vt hoc prætextu ſe ſuis mandatis eximerent. Declarat, & diſertè aſſerit, litteras iſtas Apoſtolicas non ſolum motu proprio & ex certa ſcientia, verum etiam poſt longam & grauem deliberationem de omnibus quæ in illis continentur adhibitam, fuiſſe ſcriptas. Hanc eſſe ſuam meram, puram, integram voluntatem, &c.*

His litteris quaſi hornum belli-um canentibus

bus, addita erat epistola Cardinalis Bellarmini ad Georgium Blakuellum Archipresbiterum Angliæ, quibus *post refricatam veteris necessitudinis memoriam, increpat hominem acriter quod ad iurandum in verba Regis seu metu seu errore fuerit inductus. Hoc iuramentum quibuscunq; verbis concipiatur eo tendere vt auctoritas capitis Ecclesiæ à successore S. Petri ad successorem Henrici octaui in Anglia transferatur. Hortatur deniq; ad defendendum Papæ Primatum, quem dicit esse Caput fidei.*

Plus in hac oratione dignitatis erat quam fidei. Neq; Blakuellus his persuasus est vt mutaret sententiam. Cum enim Bellarminus hoc iureiurando clamet fidem & Papæ Primatum occultè peti, non docet tamen quomodo & quibus verbis iuramenti id fiat. Nec profert argumenta quibus probet cur agnoscere Iacobum caput Angliæ, & summum judicem in temporalibus, & fidelitatis Sacramento Regi suo se obstringere, sit committere in Papæ iura, aut fidem Catholicam corrumpere.

Hæc etsi fierent clanculum, Regi tamen per conscios nunciabantur, eratq; his artibus quorundam labefactata fidelitas. Promptum erat perdere homines vltima quæq; commeritos, quibus proditio & perfidia in Regem, pars est pietatis. Repressit tamen se Rex clementissimus; nec passus est suam clementiam ab illorum improbitate superari. Quin & scripto super hac re edito conatus est docere quos poterat perdere. Maluitq; malos flectere ratione, quam cogere seueritate. Maluit sanguinem suffundere quam effundere.

Quid non faceret in gratiam bonorum qui ſe demittit ob malos? Qui tantiſper exuit perſonam Principis, vt ſumat patris? Nempe illi quem Deus ad ſummum potentiæ culmen euexit, hæc vna ſupereſt via creſcendi, ſi ſe ipſe ſummiſerit.

Publicauit ergo litteras Papales addita confutatione. Titulus libri eſt, *Apologia pro iuramento fidelitatis*, ſuppreſſo tamen ſuo nomine. Neque enim quidquam penſi habebat ſub quo titulo veritas appareret, dummodo faſcinati errore animi ad meliorem mentem reuocarentur. Nec erat hoc certamen ingenij, ſed innocentiæ defenſio. Non tamen potuit author diſſimulari. Nam quis tam excelſi ingenij venam non agnoſceret? Enimuero boni Reges quia ſunt locati in ſublimi, propiore Dei afflatu tanguntur. Vel hæc ſola cogitatio, ſe Dei vicem inter homines ſuſtinere eorũ animis ingentes ſubdit aculeos. Quod ſi ad hæc acceſſerit educatio & ingenium ſtudio ſubactum, ac politum experientia (quæ omnia huic Regi contigerunt abundè) quis mirabitur ſi tantum ſuperant vulgus ingeniorum ſublimitate ſenſuum, quam magnitudine fortunæ?

Hæc igitur Apologia non dubijs indicijs agnita, praua quorundam ingenia concitauit, qui (vt ait eleganter idem Rex) ſortem miſerunt in librum quem non poterant diſcindere: eſt enim in eo preſſa textura argumentorum, & arctiſſima iunctura. Opus ergo quod morſu non poſſunt violare, latratibus impetunt, vſque adeo proiectæ impudentiæ vt ſe audeant cum tanto Rege componere, eumque cum Iuliano Apoſtata comparare

rare

rare. His floribus rhetorices diabolicæ ſcripta perditiſſimorum nebulonum ornantur, Quos pridem Deus per os Apoſtoli Petri ſuis coloribus
2. Pet. 2. v. 10. 11. & 12. depinxit vocans *animantia bruta, homines audaces, & qui ſibi placentes non horrent dignitates conuitijs inceſſere. Quùm ipſi angeli qui ſunt robore & potentia maiores, non ferant aduerſus eas apud Dominum maledictionis iudicium.* Enimuero ſi ſcelus fuit maledicere Principi Ethnico quales Petri æuo fuerunt omnes Monarchæ, quis feret hominem maledicentem Principi Chriſtiano & pio? Si Angeli abſtinent maledictis in principes, quis hoc probabit in homine? maxime vero in ſubdito?

Non ſecus ac canes lunam allatrantes curſum eius non inhibent, ita nec tales contumeliæ auerterunt Regem a ſolita benignitate, per quam ſolet benefacere illis qui ei dicunt malé, Res eſt ſordida conculcare erucas aut vermiculos, nec digna nomine victoriæ. Cum his certare turpe, vincere vero inglorium, & genus opprobrij. De quibus abunde ipſa inuidia ſupplicium ſumit, & dolor conceptus ex tanti Regis felicitate, cui honor, opes, robur, & pax inter infeſtorum odia, quaſi virgulâ diuinâ ſuppeditantur. Horum ergo hominum irritos morſus cùm contemneret, in gratiam tamen bonorum, & vt Regibus vicinis probaret ſuæ cauſæ iuſtitiam, alterum librum in modum præfationis priori libro præfixit, in quo diluit calumnias aduerſariorum, fugamq; intercipit, & fidei ſuæ ſummam ex ſacra Scriptura hauſtã proponit: feliciq; audacia depingit Epiſcopum Romanũ coloribus ſumptis ex Paulo Apoſtolo & Ioannis

Apo-

Apocalypsi. Nulla vnquã tabula fuit picta maiore manu aut feliciore. Quis sit torrens eius eloquentiæ, quod pondus argumentorum, quæ iunctura orationis, quæ copia eruditionis, quam sit orationis filum teres & candidum, ij demum nouerunt qui Regium librum composuerint cum inani tumore Litteraum Papalium; aut cum scriptis aduersariorum. Felicem eloquentiam quæ armata viribus pietati tamen ancillatur. Cuius scaturigo summo Regni culmine delabens imitatur aquas Siloe rigantes sacrosanctam ciuitatem. Felicem Maiestatem quæ suum Sceptrum ad crucis ima submittens, hoc ipso magis attollit. Quæ Regale palatium facit esse Templum cælestis sapientiæ, & interiora domus sacris meditationibus consecrat. Quemadmodum igitur olim terra erat fertilior cùm Reges eam colerent, & à stiua peteretur Imperator, ac si superbiens terra aratro coronato & vomere triumphali sinum vltro aperiret: Ita spernanda sunt magna pietatis & veræ religionis incrementa, hoc Rege eam colente & defendente.

Prodiit ergo in lucem secundus hic liber missus in auxilium prioris. Neq; Rex dissimulauit authorem: Vnde factum vt animi hominũ varié fuerint affecti, hi lætitia, illi metu, alij dolore, omnes admiratione. Cumque esset breue opus refutatio propediem expectabatur. Nec conatus defuit, sed difficultas in experiundo cognita ardentissimum quemque retardauit. Iam abierant octo menses post libri Regij publicationem cùm prodierunt responsiones, & primuli conatus aduersariorum.

Primus prodiit Cuffetellus veluti in acie Romana ferentarius. Hic edidit librum octauo mense, quo qui nascuntur fœtus rarò vitales sunt. Et profecto pridem intercidisset eius libri memoria nisi nomen Regis fronti præfixum ei vitam daret. Facilius sub alio nomine inclarescunt qui non possunt sub suo; ducuntque gloriam ex magnitudine aduersarij.

Hic ergo Doctor non aliter agit cum Rege quā nutrices cum infantulis, quos nunc mulcent blanditijs, nunc compescunt colapho, miscentes ictus adulationi. Nam verbis ad suauitatem compositis falsi tamen Regem arguit & ignorantiæ: & blandè ingerens conuitia sub specie obsequij occultum virus suffundit. Quem Bellarminus paulo post secutus superauit asperitate, agens cum Rege inclementius. Nouissime Leonardus Coqueus Eremita Augustinianus, dubium homone an bellua, an lutum stercore maceratum Regis librum & personam pluribus conuitijs quam rationibus insectatus est, vocans Regem alterum Achab, Iulianū Apostatam, Nabukadonosorem, ineptum, & nugacem, & stultum, & quid non? Cui dicam ego quod Michael Archangelus Satanæ iurganti: *Increpet te Dominus*. Atque hic quidem ne dignus quidem est qui nominetur. Alij duo, præcipuè vero Bellarminus, digni sunt quorum argumenta, & rationum momenta ponderentur, quanquam ad id solum videntur facti, vt magis confirment librum Regium dum debiliter impugnant. Nam eius verba inuertunt, & sensus mutant, nec insistunt Regis vestigijs ne cogantur

Iudæ epist. vers. 9.

gantur ὁμόσε χωρεῖν, & aduerſa fronte concurrere. Fingunt monſtra quæ iugulent, ſed alijs monſtris oppoſitis. Impar ſane congreſſus. Non euertitur pugil flatu: leonem excipere ſubula non modo periculoſum eſt, ſed & dignum riſu. Nec Regis doctrina nixa veritate tam molliter feriendo euertitur. Hæc a me dici non partium ſtudio, nec obtrectandi libidine ſequens tractatio docebit.

Cap. II.

Commonefactiones Cuffetelli. Eiuſdem & Bellarmini & ipſius Papæ, ac Ieſuitarum de proditionibus & Principum cæde judicium.



ARiſtoteles ſecundo Rhetoricorum dicit ruſticos maxime eſſe γνωμοτύπους & crebriores ſententias proloqui. Inſipientia, tolerabilior eſt ſapientià importunà. Hæc eſt prima culpa Cuffetelli, qui ſtatim ab initio libri Regem prolixe admonet, multa grauitate & fide. At ipſe dum Regem monet officij, mihi videtur oblitus ſui. Nam Hieronymus in Vigilantium, ait Monachum non docentis, ſed plangentis habere officium. Vtiq; vult monachos flere ſua peccata, non verò aliena perſequi. Maximè vero indecoræ ſunt hæ reprehenſiones apud Regem cuius vita eſt cenſura perpetua, & ſacroſanctæ diſciplinæ exemplum. Melius Lutherus qui Leonem X. hortabatur ad eiurandum Papatum, cumq; ad laboris ſocietatem inuitabat. *Sleid. Hiſt. lib. 2.*

Addit

Addit Cuffetellus *Regem Maioris Britanniæ istis coniurationibus abaljenatum esse ab Ecclesia Romana, quam tamen affirmat hæc facinora non probare, quin potius optare Regibus vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, modòne Religio Romana inde quid detrimenti capiat.*

Tertul. Apol. cap. 30.

Bellarminus quoq; persæpe, maximè vero in Epistola ad Blakuellum negat *Pontificem Maximum vllum Principem, quamuis persecutorem cædi mandasse, aut cædem ab altero factam probasse.*

Hæc ab illis qua fide dicantur facile est cognoscere: Plenæ enim sunt historiæ vltimorum seculorum exemplis Imperatorum & Regum in quorum cædem & ruinam Papæ concitauerunt arma vicinorum, & subditorum. Quis enim Rudolpho Sueuiæ Duci fuit auctor rebellandi in Henricum IV. Imperatorem? Quis in eundem Henricum filij sui Henrici V. parricidialia arma commouit? Nonne Paparum authoritas, & suasio? Quid Fredericum II. dicam, cui cùm Pontifex Innocentius IIII. in concilio Lugdunensi Imperium abrogasset, non modò Imperij proceres, sed & Sultanum Sarracenorum in eum incitare conatus est? teste Alberto Abbate Stadensi in Chronico, & alijs?

Lege fasciculum Rerum expetendarum fol. 40. & seq. Helmodum de rebus Sclauonicis. Paulum Langium in Chronico Cilizensi. Bennonem Cardinalem in vita Hildebrandi. Sigonium de Regno Italiæ lib. 9. Abbatem Vspergensẽ in vita Greg. 7. Nauclerũ, Platinam &c.

Ac ne vetera consecter, nonne excommunicationem Henrici III. Regis nostri, & abdicationem factam a Sixto V. eiusdem Henrici cædes à Iacobo Clemente Dominicano paulo post est consecuta? Quam cædem idem Papa frequenti Consistorio laudauit, 3. Idus Septembris 1589.

Circunfertur

Circunfertur oratio *excusa Lutetiæ Anno 1590. præfixa approbatione Doctorum, Cuius orationis vltima verba libet hic apponere. *Propter hæc, (inquit) & similia manifesta impoenitentiæ indicia decreuimus pro ipso non esse celebrandas exequias, non quod præsumamus quicquam ex hoc de occultis erga ipsum Dei iudicijs, aut misericordijs, qui poterat secundum beneplacitum suum in ipso exitu animæ suæ conuertere cor eius & misericorditer cum illo agere, sed ista locuti sumus secundum ea quæ nobis exterius patent. Faxit benignissimus Saluator noster vt reliqui hoc horrendo iustitiæ supernæ exemplo admoniti, in viam salutis redeant, & quod misericorditer hoc modo coepit, benignè prosequatur ac perficiat, sicut eum facturum speramus, vt de erepta Ecclesia de tantis malis & periculis perennes illi gratias agamus.* Extat legenda istius ἀλάστορος titulo, *Vita sancti Clementis*, quam ipsi vidimus & legimus cum horrore. Pingebatur instructus fatali cultro quo Henrici III. viscera scrutabatur. Sed non habuit hic sanctus homines propitios, esletq; haud dubiè in Coelis, si belli exitus sceleratum huius monstri cultum adiuuisset. Hoc eius facinus a Iesuita Mariana plenis buccis laudatur, libro primo de Rege & Regis institutione cap. 6. *Specie* (inquit) *alias litteras in manus tradendi, cultro quem herbis noxijs medicatum manu tegebat, supra vesicam altum vulnus inflixit: insignem animi confidentiam facinus memorabile.* Et paulo post. *Cæso Rege ingens sibi nomen fecit: cæde cædes expiata, ac manibus Guisij Ducis perfide perempti regio sanguine est parentatum.* Sequenti vero capite de Tyrannis per dolum aut venenum tollendis agens.

* *Apud Nicolaum Niuelliũ, & Rollinũ Theodoricum.*

agens. *Si* (inquit) *euaserint instar magnorum heroum in omni vita suspiciuntur : Si secus accidat, grata superis, grata hominibus hostia cadunt, nobili conatu ad omnem posteritatis memoriam illustrati.* Vt tamen parricidium committatur honestè, suadet vir bonus vti hoc temperamento. *Hoc tamen* (inquit) *temperamento vti in hac quidem disputatione licebit, si non ipse qui perimitur venenum haurire cogitur quo intimis medullis concepto pereat. Sed exterius ab alio adhibeatur, nihil adiuuante eo qui perimendus est; nimirum cum tanta vis est veneni vt sella eo aut vestis delibuta vim interficiendi habeat. Qua arte a Mauris Regibus inuenio sæpe alios Principes missis donis veste pretiosa, linteis, armis, ephippijs fuisse oppressos.* Exemplum videsis disciplinæ. Timuit Iesuita ne Rex hauriens venenum propinatum (quanquam id faceret imprudens) alligaret se criminis in se admissi, & inde aliquod periculum animæ eius crearetur : at non timuit ne qui sciens & prudens Regem suum perimeret, crudelitate nefanda & proditione pollueretur. Nimirum hæc est cordatorum hominum benigna crudelitas, bene cupere animabus, quarum necauerint corpora. Quis non miretur facetam nebulonis vecordiam ? Immo quis non indignetur hæc ferri, & defendi ? vt factum est nouissime a Gretzero Iesuita Alemanno in libro quem Vespertilionem Hæreticopoliticum inscripsit, immo & ab ipso Pontifice? Enimuero quis ob talia scripta vnquam damnatus est a Papa ? aut quis hoc nomine deteriori fuit apud eum conditione? Quis Papa siue post tentatam, siue post patratam Regis alicuius cædem, factum

damnauit

damnauit, aut vetuit ne quid porro tale committeretur? Nonne Genębrardus Chronico ad annum 1581. hæc notat? *Sanderus & alij plerique nobiles Catholici freti bulla Pij V. in Hibernia contra Angliæ Reginam bella pro patria & religione gerunt.* Illud vero scitu dignissimum quod cùm nuper Romæ de Marianæ scriptis esset instituta cognitio, alij quidam eius libri notati sunt censura, hic vero ne minimum quidem reprehensus est. Allata est Roma censura qua damnabatur Arrestum Parlamenti aduersum Iohannem Castellum qui Henrico IV. Regi præstantissimo cultro dentem excussit, cum iugulum peteret: Nec non censurą historiarum Augusti Thuani viri omni laudę dignissimi. Notabantur quoq; eodem carbone alia quædam scripta Marianæ. Hunc solum librum exitialem principibus censura non attigit. An quia latuit liber censores? At facile fuit postea supplere quod fuit omissum negligentià, nec ad eam rem defuit aut tempus aut occasio. Nempe Librum probatum a Generali ordinis Aqua viuà, & a pluribus viris doctis & grauibus eiusdem ordinis (sic enim habet præfixa operi approbatio) nefas erat attingere. Merito ergo liber sacri Parlamenti iussu tortoris manu publicè crematus est; Quamquam dum sæuitur in scripta, ipsi vero homines fouentur & in sinu habentur, liber illis ipsis flammis nescio quo modo factus est illustrior. Mitto Iesuitæ Guignardi orationem suasoriam Tyrannicidij (Tyrannos enim vocant Reges legitimos, immo & optimos, si vel tantillum Papæ aduersantur) & Apologiam Francisci Veronæ

Constantini pro Iohanne Castello. Nam quid exempla conquiro cùm præsto sint regulæ & Canones quibus eiusmodi facinora aut probantur, aut molliuntur? Papa Vrbanus Causa 23. Quæst. 5. Canone, *Excommunicatorum*: sic ait. *Non enim eos homicidas arbitramur quos aduersus excommunicatos zelo matris Catholicæ Ecclesiæ ardentes, aliquos eorum trucidasse contigerit.* Emanuel Sa Iesuita in Aphorismis Confessariorum in voce *Clericus*. *Clerici* (inquit) *rebellio in Regem non est crimen læsæ Maiestatis quia non est subditus Regi.* Quæ verba ab editione Parisiensi erasa gaudeo: manent tamen in editionibus Antuerpiæ & Coloniæ curatis. Ipse Bellarminus libro in Barklaium cap. 7. *Non pertinet ad Monachos aut alios Ecclesiasticos viros cædes facere, vt habetur 23. q. 8. Can. 1. & sequentibus, multo autem minus per insidias Reges occidere. Neque summi Pontifices consueuerunt ista ratione Principes coercere. Ipsorum mos est primum paternè corripere, deinde per censurã Ecclesiasticam sacramentorum communione priuare, deniq; subditos eorum a iuramento fidelitatis absoluere, atque authoritate regià, si res ita postulat priuare. Exequutio ad alios pertinet.* Post latam ergo sententiam si quis de plebe Principem occiderit, fecerit rem licitam & iustam: nam (si fides Bellarmino) exequutio ad eum pertinet. Nonne idem Cardinalis lib. 5. de Romano Pontifice cap. 8. & passim lib. aduersus Barklaium contendit Papam eandẽ habere potestatem quam olim Ioiada Pontifex qui Athaliam reginam non modo regno, sed & vita priuauit? Quam in rem habes

habes disertissima verba Martini Becani Iesuitæ [redacted] in libro de Controuersia Anglicana, pag. 123. *Ioiada* (inquit) *Pontifex prius priuauit Athaliam regno, deinde vita. Itaq; priuauit eam regno vt Reginam & publicam personam, priuauit autem vita vt priuatam personam.* Et pag. 125. *Quicquid potestatis & iurisdictionis permissum fuit Pontifici in veteri testamento, hoc etiam in nouo permissum illi est.* Nonne idem Bellarminus in refutatione Apologiæ pro iuramento fidelitatis, laudat Garnetum, quod cum esset conscius coniurationis puluerariæ, maluerit tamen Regem occidi quam Confessionem reuelari? Nonne vir insignis & doctrina & fide Isaacus Casaubonus in sua ad Frontonem Ducæum Epistola testatur sibi dictum a Bineto Iesuita: *Præstare Reges omnes perire quam si vel semel confessionis sigillum violaretur? Regum enim Imperium esse iuris humani, Confessionem diuini?* Et Iesuita Andræas Eudæmonoiohannes in Apologia Garneti cap, 13. *Nullum tantum potest esse malum cuius vitandi causa confessionem prodere liceat.* Vestram fidem, an non hoc est cædem Regum approbare? Oportet enim sit homo nequam in cuius sinum consilia de parricidio & Regum cæde tutò deponuntur: qui crudeli taciturnitate perfidoq; silentio, spectat immotus cædem patris sui vel Regis: aut euersionem patriæ cui poterat mederi. Erga parricidas quidem egregia fide, sed erga Deum, Regem, parentes, patriam summâ perfidiâ. Fuit sanè semper apud omnes populos super hac re summa consensio, vt in crimine perduellionis & Maiestatis, conscius cum executore sceleris pari

pæna afficeretur : hic enim manum ſceleri accommodat, hic conſcientiam. Ipſum Bellarminum lubens feram hic Iudicem, an ſi quis per confeſſionem ei aperuerit conſpirationem in Caput Pontificis, ſitne Papam moniturus, an vero paſſurus ſedem (ſicut ipſe putat) Apoſtolicam ſanguine Papali pollui ? Abſit vt de eo tam male ſentiam.

At (inquiunt) reſignare ſigillum confeſſionis perfidià eſt. Quid ? an fidelitas eſt & pietas prodere Regum vitam & patriæ ſalutem, humanæq; ſocietatis commercia & iura ſub fidelitatis obtentu funditus tollere ? In his certe fidelem eſſe & innocentem iuris eſt diuini; At confeſſio auricularis eſt humana conſtitutio quam vetus Eccleſia non habuit, & tota orientalis Eccleſia non obſeruat. Neq; enim Iacobus capite quinto jubens nos
Verſ. ib. ἐξομολογεῖσθαι ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, *Confiteri alij alijs peccata*, agit de confeſſione auriculari, ſed de confeſſione qua fideles poſt offenſam ſibi inuicem ſatisfaciunt: Eum enim agere de confeſſione reciproca, qua & tu apud me & ego apud te culpas mutuas confitemur clarè indicat vox ἀλλήλοις, *Confitemini* (inquit) *inuicem :* quod & euincunt verba ſequentia. καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, *orate alij pro alijs:* vbi agnoſcunt omnes non agi tantum de precibus quæ pro presbiteris concipiuntur, ſed de precibus quibus fideles pro ſe inuicem apud Deum intercedunt. Hæc enim ſunt ἐχόμενα, & duo ſimilia præcepta, alterum de confeſſione peccatorum alterum de precatione hic dantur. Neque vero ſi aduerſarij obtinerent Iacobum hic agere
de

de auriculari seu arcana confessione, essent tamen assecuti quod volunt, nam de silentio religioso confessariorum neq; hic, neq; vspiam verbum vllum inuenias.

Hæc ergo cum a Bellarmino eiusq; consecraneis credantur & doceantur, eos velle vitam Regum sartam & tectam nemo credet nisi qui vltro vult decipi. Vel illa sola doctrina qua contendunt Papam posse Reges exauthorare & regno exuere, sufficit ad fidem astruendam nostræ accusationi. Nonne Bellarminus toto libro in Barklaium, hoc vnum agit vt pobet penes Papam esse, Regibus abrogare imperium, & subditos a iuramento fidelitatis absoluere? idq; prolatis testibus septuaginta septem quos longa serie in operis fronte locat? At hoc docere quid est nisi cædem Regum probare? Nam quis nescit Regem anathemate confossum, & regno exutum, iturum ad arma & bello sua tutaturum quod fieri non potest absque vitæ periculo. Certè qui iubet aliquem Regno spoliari, iubet & occidi si se bello defenderit; Replica memoriam vetustatis, & reperies paucissimos Reges superstites fuisse suo imperio, & omnes, demptis paucissimis, vitam amisisse cum Regno: certis enim gradibus ad regnum ascenditur, descensus vero præceps est, nec temerè inuenies quem molliter tanta ruina deposuerit. Nec omittendum est librum hunc Bellarmini Regibus exitialem attemperatè statim post Henrici Magni cædem prodiisse, quasi ad id ἐξεπίτηδες factus esset, vt Rex maximus jure occisus videretur. Ideoque damnatus Arresto Curiæ Parlamenti ad VI Cal. Decemb. 1610. Cuius Arresti verba sunt. *Bellar-*

minilibrum in Barklaium continere falsam & detestandam propositionem tendentem ad euersionem summarum potestatum a Deo stabilitarum, insurrectionem subditorum in suos Principes, substractionem ab eorum obedientia, instigationem ad audendum in eorum caput. Ideoque cautum ne Doctores, Professores aut alij quicunq; supradictam propositionem vllo pacto doceant. Nec non interdictum omnibus librarijs, & typographis excudere aut distrahere supradictum librum sub pœna criminis Maiestatis. &c Ne vltra sæuiretur in librum, datum est dignitati personæ Sed cum sub idem tempus Abbas Syluius ob parricidialem illam doctrinam esset in Iesuitas inuectus voce & scripto, paulo post Romæ necatus est in carcere: Magno posteris documento honesta facinora minore periculo incipi quam deseri. Nec posse hodie cuiusquam fortunam in tuto constitui, nisi aut Pontifici sine exceptione seruiat, aut palam aduersetur. Ipse Cuffetellus malè acceptus est Romæ, & loco pene motus quod in suo libro erga Reges paulo pronior, nec satis fauens Papæ videretur.

Illud vero mihi videtur præter cætera horrendum, & post homines natos inauditum, quod proposito martyrij titulo homines ad parricidia Regum animantur, & quod Garnetus & Oldcornus inter Iesuitici ordinis martyres locum tenent, idq; tam publicè vt etiam venalis prostet pictura, quam ipsi sæpe vidimus & indoluimus. Nam quid deinceps Regibus erit tutum, si per regicidia quæritur corona martyrij? Siccine sacrosanctum nomen Martyris dehonestari? An per scelera & sanguinem in Cœlum itur? Pœna non facit martyrem,

rem, ſed cauſa: niſi forte Satan etiam ſuos habet Martyres. Tales cruciatus ſunt crimina, non modo indigna laude, ſed ne quidem digna venia. Ergo in venerabili martyrum choro, vbi Stephanus, & Iacobus Apoſtolus ducunt agmen, quos ſequitur turba ſanctorum, prodigorum ſui ſanguinis, parcorum Dei gloriæ, conſpicientur incendiarij & parricidæ, illi inſtructi facibus, hi gladio; quæ non ſunt indicia pœnæ, ſed criminis: quibus non ſignificetur quomodo fuerint necati, ſed quomodo necauerint. Infelicia ſæcula quæ ſceleribus inſcribunt nomina virtutum & per corruptionem vocum corruptelam morum & doctrinæ inſinuant.

Ignauus ergo (ſi his creditur) Paulus Apoſtolus, qui, cùm coram Nerone ſiſteretur, non auſus eſt ſicam ſub ſinum abditam adigere in pectus Tyranni. Maxime cùm non deeſſet facultas: Paulus enim qui ſolo verbo viſum Elymæ abſtulit, & Petrus ad cuius vocem Ananias & Saphira conciderunt mortui, poterant eadem virtute, opprimere monſtrum cui luſus erat Chriſtianos feris laniandos obijcere, & pice illitos in vſum nocturni luminis vrere, in quo denique habemus ſingulare exemplum quid in ſumma fortunà ſumma poſſit nequitia. Hic ego, Ieſuitæ, veſtram conſcientiam appello, an ſi Paulus ob tentatum eiuſmodi facinus fuiſſet affectus capitali ſupplicio, mors talis decoranda fuiſſet titulo Martyrij? denique an ita occumbens ædificaſſet Eccleſiam ſalutari Chriſtianæ conſtantiæ exemplo? Non equidem puto eſſe quemquam ingenio tam læuo

qui id existimet. Nisi forte Leonardus Coquæus aliquis, qui non modo non audet damnare authores pulueraria proditionis, sed etiam de eorum felicitate & salute bene ominatur. Verba eius hæc sunt pag. 43. *Inde vero magna mihi opinio est felicis exitus & salutis illorum, qui etsi in consilio opereq; peccassent, constantes tamen in fide S. Romanæ Ecclesiæ ex hac luce discesserunt.* Nota voces, *si peccassent*, quod perinde est ac si diceret eos non peccasse.

Hæc cùm ita sint, non dubium est quin Iesuitæ, & quisquis cum eis sentit, probent & suadeant regum parricidia. Quorum dogmata quamdiu erunt accepta in vulgus, nunquam Regum nostrorum vita erit in tuto. Fallitur enim qui putat Regum saluti consuli, si sceleratus aliquis parricida exquisitissimis cruciatibus sub oculis populi torqueatur, interea dum fatalis principibus doctrina scriptis vel sermone in eiusdem populi animos instillatur. Non enim tunc primum parricida esse quis incipit, quando sceleratam manum in vnctum Domini intentat. Tunc, tunc se parricidij alligat quando mens infecta, superstitione improbà, nefariam persuasionem imbibit. Deterior fuit ille qui Iacobi clementis animum quam qui cultrum veneno infecit. Nec mirum si discipuli auidi regij sanguinis ex ea schola prodierint, in qua laudes Harmedij & Aristogitonis & Dionis erant chriæ vsitatæ, & quotidianarum declamationum argumenta.

Veruntamen ad declinandam inuidiam, & dogmati huius asperitatem molliendam, Bellarminus commentus est stropham quā operæprecium est cogno-

cognoſcere. Is igitur cap. 31. in Barklaium, inducit Papam ſic coarguentem indocilitatem populi reſponſantis, & plus æquo religioſi. *Non tibi* (inquit) *facio gratiam præcepti naturalis vel diuini cùm ab obedientiæ vinculo te abſoluo. Non enim permitto Regi non pareas, quod eſſet contra ius diuinum, ſed facio vt ille qui tibi erat Rex non ſit tibi deinceps Rex.* Quo etiam colore vtitur Franciſcus Verona ad Ioannis Caſtelli facinus excuſandum cap 3. partis ſecundæ. Capitalis profectò oratio, & quæ vocum commutatione molliens crimina, ſoporat conſcientias vt putidis diſtinctionibus indormiant. Nempe occidit nefarius furcifer Henricum, ſed non occidit Regem. Cur hoc? Quia Papæ iudicio Rex eſſe deſierat, etſi de facto regnaret. Quid? Potuitne Papa eripere Henrico Regnum quod non dedit? Quis autem in Papam hanc poteſtatem contulit? nam hac de re in verbo Dei nulla mentio. Aut cur Romani pontifices non vſi ſunt per multa ſecula hac poteſtate, cum Eccleſia ſæuiſſimorum Tyrannorum iugo premeretur? Aut ſi defuerunt vires, cur non ſaltem extitit eorum aliquis qui datam ſibi a Chriſto poteſtatem transferendi regna, præpediri aut inutilem eſſe cõquereretur? Sed quid ſi Papæ ſententia fuerit iniuſta? Nam & poſſe ab eo iniuſtè iudicari, ne Bellarminus quidem negat; Quinimo ex Gregorio cap. 1. Cauſa 11. quæſt. 3. contendit timendam eſſe excommunicationem ſiue iuſta fuerit, ſiue iniuſta. Iſtius vero iniuſtitiæ non alium vult eſſe iudicem quam Papam. Quod ſi ita ſit, & an Papa iuſtè iudicet ipſius Papæ iudicio ſtatur, confinget

get causas quas volet, vt hoc pacto Regibus imperet, & habeat Reges beneficio sibi deuinctos, quippe quos quo iure quaq; iniuria in alieno regno locauerit. Audi vero facetam huius Cardinalis benignitatem erga Reges iniustè habitos, Capite enim 31. in Barklaium vbi agit de abdicatione Principum, sic habet. *Quod autem dicis iniustam sententiam non lædere eum in quem fertur verum est, quando is in quem fertur eam humiliter tolerat & obseruat, donec iniustitia vel potius nullitas eius manifeste se prodat.* Benignè; & quo Reges iniustè regno excussi letentur, iniusta enim sententia abdicationis eis non nocebit dummodo cedant Regno patienter, & tanto culmine deuoluti per nefas, taceant: & expectent, donec qui Regnum eorum inuasit, patefactâ iniustitia sententiæ vltro renunciet regno quod occupauit, eo reuocato quem iniusta Papæ sententia depulerat Imperio. Siccine sublimi os Regibus quasi fatuis? aut quid hoc est nisi regum capitibus insultare per ludibrium? Nam quid si is in quem alterius diadema iniustè a Papa translatum fuerit, noluerit post iniustitiam sententiæ cognitam loco cedere, & voluerit vsurpata iniustè per vim retinere? Quid si Rex pulsus, in defensione sui iuris vitam amiserit? An Papa eum ex inferis excitatum denuo locabit in solio? Ridiculè, immo sane improbè, & in reges contumeliosé. Adeone quenquam esse vacui capitis vt hæc a Bellarmino serio dici existimet?

CAP.

Cap. III.

De Cardinalibus & Pontificum Romanorum electione.



Ex Sereniſſimus & Maximus, non ferens ſe cũ Cardinali quali cum equali committi, gnarus quantum diſtet pileus à corona regali, & quantm interſit inter ſeruum ſerui ſeruorũ, & dominũ tot populorum, De Cardinalibus in ſua præfatione Monitoria ſic agit.

Neque vero mihi vnquam perſuaſi tantum eſſe in purpura Cardinaltia dignitatis vt occurrere Regio fulgori par ac æmula, & velut æquali Maieſtate cum eo poſſit ad certamen componi. Nam & multa millia in ſubditis habeo qui ſplendore natalium Bellarmino non concedant: & hanc illius Eccleſiaſticam dignitatem, Cardinalatum inquam, neſcio quo loco aut pretio habeam ſiue ad Scripturarum authoritatem, ſiue ad Imperatorum conſtitutiones expendam. Cum ſit nihil aliud quam noua Paparum inſtitutio quam in Immenſum excreſcere deceſſorum noſtrorum, Regum, inquam, qui his aliquot ſeculis rem Chriſtianam rexerunt, mollis & ad omnia Pontifici conniuens lenitas permiſit.

Eadem de re idem Rex prolixius alio ſuo Præfationis loco, his verbis. *Nam Eccleſiaſtica illa dignitas, quamquam Principum incuriâ* (vt iam dixi) *ad hoc præſumpti honoris culmen aſcendit, tamen ſi ad eius originem & cunabula redeamus nihil*

eſt

est aliud quam titulus presbyteris & diaconis Parœciensium Ecclesiarum vrbis Romæ attributus: olim quidem Presbiteris & Diaconis cuiuslibet Cathedralis Ecclesiæ vniuersè concessus. Sed cum eiusmodi Cardinalium ingens multitudo vndiq; Romam cōmeantium vrbem impleret, tandem nomen Cardinalis cæteris ademptum est, & solis Romanarum parœciarum presbyteris & Diaconis reseruatum. Et cùm ante S. Gregorium nemo illius tituli m minerit qui Sexcentis post Christum annis in quibusdam Epistolis de Cardinalibus loquitur, atq; ita multis post Apostolos seculis, hodierni isti sedis Apostolicæ Electores inuisi omnibus & incogniti fuerint: cumque ipse Gregorius non eos alio loco ponat quam quem eos olim obtinuisse modò dixi, non potest, opinor, Cardinalis, qui Gregorium Angliæ Apostolum vocat, mihi Angliæ Regi vitio vertere si Cardinales eodem gradu & ordine habeo quo constat nostrum illum Apostolum habuisse.

Sed quo modo præter rationem suæ originis ac institutionis tam prodigiosè elati sint, vt ex parœciarum Presbiteris ac Diaconis, nunc Principes facti sint, Regumq; æquales, & ex gradu Episcopali dignitate minori (vt [a] Bellarminus & [b] Onuphrius fatentur) sint hodie soli Pontificis electores, qui cum generalium Conciliorum vice funguntur (vnde & iam vsus generalium Conciliorum penitus exoleuit) immo vt non nisi ex illorum collegio fas sit Pontificem eligi, qui supremam in Reges sibi auctoritatem vindicat: hoc, inquam, tam insolens incrementum quo modo cœperit, nullisq; repugnantibus adoleuerit, nostrum est omnium prouidere: Qui cum in terris Vicarij Dei simus, iure optimo

[a] Libr. de Clericis ca. 16.
[b] Libr. de Episc. titulis & diaconijs Cardinalium.

mo suspectos habere debemus istiusmodi nuper exortos Principes, qui sua origine modici humilesq́, se ipsos ad summum fastigium suis ipsi suffragijs subuehunt, Regibusq́ deinde se componunt. Sed hæc est præcipua quam nobis inferunt iniuria, quod ius Christianis commune Regibus in generalibus Concilijs nobis adimant, cum illorum habendi modum penitus sustulerint, eorum vi ac potestate ad se pertracta & velut monopolio in Pontificio conclaui constituto.

Hanc Regis orationem veritate & sententiarum pondere commendabilem Cuffetellus perstringit leuiter & perfunctorie. Bellarminus vero instat acrius, quippe qui suæ purpuræ debebat defensionem.

Principio de Episcoporum & Presbyterorum dignitate prolixè agit, congestis ad id aliquot Patrum testimonijs qui Episcopos immo & Diaconos Imperatoribus anteponunt. Omnia præter rem. Rex enim cùm negat Cardinales Regibus posse componi, non agit de gradu quem Pastores obtinent in Ecclesia circa res sacras: sed de dignitate & gradu quem Cardinales in rebus ciuilibus & terrenis occupauerunt in fraudem principum, seu capiendus accubitus inter conuiuas, seu considendum inter Principes, seu locus tenendus in publica pompa, vel in Regum coronatione, in quibus rebus Cardinales anteponunt se principibus, & æquant Regibus, fatente ipso Bellarmino, his verbis, *Quod vero apud Iurisconsultos dici solet, Cardinales æquiparari Regibus, de externo cultu & honore intelligendum videtur. Vsus enim obtinuit vt quemadmodum Principes omnes Regibus cedunt, sic*

sic etiam cedant Cardinalibus, & in hoc paritas quædam esse videtur.

Quo autem iure hoc sibi arrogent, habes libro 1. Sacrarum Ceremoniarum, Sectione octaua, vbi Pius II. Cardinales his elogijs ornat. *Ad Collegium Apostolorum vocati consiliarij nostri & conindices orbis terrarum, successores Apostolorum circa thronum sedebitis. Vos Senatores vrbis, & REGVM SIMILES, eritis veri mundi Cardines, super quos militantis ostium Ecclesiæ voluendum.* Parum est æquari regibus, nam etiam anteponuntur. Neq; enim stare iubentur ad fræna Papalis equi, nec sellam Papalem tollere in humeros: quæ sunt partes * Imperatoris & Regum: Veruntamen ne Reges grauentur onere, succollantibus famulis Pontificis parte oneris subleuantur: benignè sanè & ex Regum dignitate. Romæ in solemnibus actionibus & Pompis, Reges concedunt Cardinalibus. Sic in Conuiuio Papali cum capiendi sunt accubitus hunc ordinē seruari docet liber primus Ceremoniarum, Sectione 3. *Stabunt* (inquit) *ante mensas lauantes eo ordine quo sedere debent in mensa. Prior Episcoporum in capite ad dexram, si aderit Rex aliquis, erit in secundo loco: si plures Reges, mixti erunt cum primis Cardinalibus: primo Rex, deinde Cardinalis successiue, si erunt mixti Principes, aut filij vel fratres Regum (si non seruiunt Papæ) debent sedere inter Diaconos Cardinales vel post eos pro eorum dignitate & conditione. Primogenitus Regis, quia Rex futurus putatur, post primum presbyterum Cardinalē erit, sed nullo modo inter Episcopos. Et hoc tam in conuiuijs quam alijs actibus publicis, quamuis nostra*

* Lib. Sac. Cerem. sect. 2. cap. 3.

nostro tempore aliquorum siue ambitione, siue ignorantia, aliquando sit seruatum contrarium. Ibidem iubentur omnes Laici, ac proinde etiam Reges genu flectere dum Papæ manibus aqua affunditur, at Prælatis huius submissionis pudendæ fit gratia. Ac ne exempla externa conquiram, scit serenissimus Rex quo fastu in Anglia Cardinalis Oulsæus Henrici VIII. maiestatem & splendorem æquare conaretur. Et quanta arrogantia sub Iohanne & Henrico III. Regibus, Cardinales Pandulphus & Otho, Maiestatem Regiam conculcauerint, vsq; adeo vt in epulis Regalibus non dubitauerint occupare sedem regiam, reiecto in inferiorem locum Rege. Quod si quis Cardinalis erga suum regem hodie se gerit modestius, id debet suæ prudentiæ, non vero legibus Ecclesiæ Romanæ aut Paparũ constitutionibus, quorum astu & Regum quorundam incuriâ factum est, vt Cardinales intersint, immo & præsint interiori Regum consistorio, exemplo post constitutas in rebus humanis respublicas inaudito, quo præsident arcanis Regum cõsilijs serui principis externi, ad hunc honorem promoti non ab ipsis Regibus quorum consilijs intersunt, sed a Papa, cuius sunt subditi. Regibus aut dissimulantibus, aut timida religione perculsis. *Mat. Par.*

De hoc externo splendore Cardinalium & dignitatis gradu tam eminenti tantum abest vt Bellarminus aliquid in veterum scriptis inuenerit, vt ne nomen quidem Cardinalis, nec minima rei vestigia potuerit inuenire. Neque vero si in re diuina facienda reges Pastoribus concedunt, ideo

Pastores debẽt cum Regibus vel de externo cultu, vel de dignitatis eminentia contendere. Sic nec Medicũ Regi compares, etiamsi in rebus quæ ad curam corporis pertinent, Reges Medicis soleant concedere.

Nihilo acutior est in astruenda Cardinalium antiquitate. *Si Cardinales* (inquit) *vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi considerentur, a Christo ipso instituti sunt, &c.* Mirum vero cur Cardinales non considerauerit vt homines, sic enim potuisset eorum antiquitatem ab ipsa creatione arcessere. At Regi non erat sermo de Cardinalibus qua Episcopi, sed qua Cardinales.

Inde ergo excussus Bellarminus planè dat manus, & dum vellicat puncta syllabarum, specie pugnantis, caput tamen rei, & quod Rex intenderat, vltro concedit. *Olim* (inquit) *ob paucitatem personarum, non distinguebantur Presbyteri & Diaconi Romani Cardinales a non Cardinalibus, sed omnes in commune hoc officio (eligendi Ponficem) fungebantur.* Et paulo post Cardinalitiæ dignitatis antiquitatem fatetur non excedere annos quingentos, aut ad summum sexcentos, quæ sane mera est nouitas, cum de Ecclesiæ vel doctrina, vel politia agitur. Nec multo post agnoscit olim Cardinales Presbyteros & Diaconos minores fuisse Episcopis non Cardinalibus: obtinet ergo Rex quod volebat.

Idem Bellarminus Regem conatur coarguere erroris, ne dicam mendacij. Sic loquens. *Néque verum est olim Presbyteris & Diaconis cuiuslibet Cathedralis Ecclesiæ permissum fuisse titulum Cardinalatum*

litium. Rarissimè enim Ecclesiæ his vocibus vtebantur. Audiat ergo caput 54. Meldensis Concilij quod coactum est anno 845. *Titulos Cardinales in vrbibus vel suburbijs constitutos Episcopi canonice & sine retractatione ordinent.* Oportuit ergo rem fuisse vulgarem quæ Concilij decreto passim fieri in Gallia jubebatur. Apud Sigonium de Regno Italiæ frequens mentio Cardinalium Rauennatis & Mediolanensis Ecclesiæ. Nunc quoq; Compostella habet suos Cardinales.

Sigon. de Regno Italiæ lib. 7. extremo.

Grauius errat dum Concilium Romanum citat sub Siluestro I. in quo fit mentio Diaconorum in cardine constitutorum. Hoc enim Concilium merum est figmentum, vt plæraq; vetera illius æui in tomis latinis Conciliorum contenta. Hoc Concilium habetur Tomo 1. Conciliorum, digestum in viginti capita: quorum primo dicuntur interfuisse Concilio 139. Episcopi ex vrbe Roma vel non longe ab illa: quasi vero Roma habuisset plures Episcopos. Sed neq; ex Romæ vicinia Episcopi 139. potuerunt conuocari, Cum ne quidem Gallia, duplo maior Italiã, habeat Episcopos centum & vigenti. Capite vltimo decernitur primam sedem non posse iudicari, *neque ab Augusto, neq; ab omni clero, neq; a Regibus.* At tunc temporis in toto Imperio Romano nulli erant Reges. Quid quod Helena mater Constantini subscribit isti Concilio? res sane prorsus inusitata in omnibus Consilijs, vt fœminæ subscribant Concilijs. Id ipsum testatur vltima Consilij clausula, quæ sic habet. *Actum in Traianas Thermias 3. Kalend. Iunij Donno Constantino Augusto*

gusto tertio, & Prisco consule. Primo ridiculum est quod concilium dicitur actum in Traianas thermas, quasi eo vi compulsus fuisset. Tum illud *Donno Constantino* pro Domino olet barbariem posterioris æui: vt & illud *Constantino Augusto tertio*, pro *tertium*. Sed illud maximum & insolubile falsitatis argumentum quod hoc anno qui fuit Christi 324. consules dicuntur Constantinus Augustus & Priscus. At Consul Priscus cum Constantino Augusto nullus vnquam, fuit, immo nec Constantinus Augustus (vt mentitur Pseudo-synodus) hoc anno Consul fuit, sed filius eius Cæsar Constantinus cum Crispo Cæsare: Vide Chronologiam Marcellianam & Cassiodori Chronicon, & Onuphrij fastos. Quid quod hæc Synodus fingitur posterior Nicæno Concilio, quod tamen indictum tantùm fuit in annum 325. vt ad minimum sit ἀναχρονισμὸς biennij? Sanctio vero quæ de Diaconis Cardinalibus agit sic est concepta: *Diaconus cardine constructus vrbis nisi in triginta sex (testibus) non condemnabitur.* Ineptè, immo & iniustè, nam quid si Diaconus fuerit a triginta quinq; testibus in homicidio aut adulterio deprehensus, an nefas erit eum accusari, nec erit numerus idoneus ad faciendam fidem.

Nihilo iustius Bellarminus Regem sic reprehendit: *Non est* (inquit) *verum quod hoc loco scribit Rex, Cardinales cum Pontifice fungi vice Conciliorum generalium, & ideo vsum Conciliorum generalium exoleuisse, nam ab eo tempore quo cœperunt Cardinales ea eminentia excellere qua nunc excellunt, habita sunt multa Concilia generalia, tria Lateranensia,*

duo

duo Lugdunensia, &c. Ego vero pertendo hoc verissime a Rege dici. Nam neque hæc Concilia fuerunt generalia quæ Bellarminus recenset, quippe quibus nemo fere interfuit nisi Papæ subditus: nec in eis ex communi Episcoporum consilio, sed ad Paparum libidinem res sunt gestæ. Nec dubium est quin Consistorium Cardinalium sibi arroget potestatem & vim vniuersalis Concilij. Nam si quid a Papa & Cardinalium Consistorio statutum est, non minus habet hodie authoritatis quam si in Concilio generali esset definitum: Vnde fit vt cogere tam longa & operosa Concilia quæ Pastores a suis gregibus per multos annos abstrahant res sit prorsus inutilis & superuacanea, cùm præsto sit ratio longe compendiosior, Papæ nimirum & Cardinalium quos circa se habet judicium. Ac mihi sæpe in mentem venit mirari veteres Christianos qui Synodum Nicænam, Chalcedonensem, &c. tantis sumptibus & labore conuocauerunt, in quibus sæpe varijs æstibus animorum certatum est, cum haberent ad manum Papale oraculum ἀναμάρτητον quod poterant consulere. Fidem quoque Regis sententiæ non parum astruit quod accidit in Tridentina Synodo, qua stante aliquot Papæ ex viuis excesserunt. Sane si hæc Synodus erat generalis & corpus totius Ecclesiæ Romanæ repræsentabat, ad eam plane pertinebat electio Pontificis: quod tamen non est factum, sed hæc potestas, de more, Cardinalibus paucis intra conclaue conclusis est reseruata. Quin & ex Papæ & Cardinalium Consistorio mittebantur per veredarios decreta fidei

iam præmansa antequam de eis in Concilio referetur.

Verissimum quoque est (vtcunque Bellarminus reclamet) non assumi quenquam ad Papatum nisi ex Cardinalium Collegio. Factum est quidem aliquando vt dum purpurati patres scinduntur in partes, & alij aliorum obnixè euertunt suffragia, tandem cogerentur in aliquem inclinare qui nullo esset neque loco neq; numero : Magis ex inuidia quam judicio : & potius per aduersæ factionis studia quam quod vtilitati Ecclesiæ Romanæ consuleretur, vt factum in electione Eugenij III. monachi Benedictini. Clementis V. & aliorum. Sed mos ille pridem exoleuit, nec duobus his nouissimis sæculis quisquam ad Papale fastigium nisi per Cardinalatum ascendit.

Quod vero Rex addit de jure Regibus adempto in Concilijs, vsq; adeo verum est, vt ne quidem Reges Galliæ quamquam Romanæ fidei defensores voluerint in Tridentini Concilij Acta jurare, sed per suos Legatos in Concilium protestati sint, conquesti se & suos Legatos indignè habitos, & Ecclesiæ suæ jura violata ; Neque passi sint hoc Concillium in suum regnum admitti. Sed & jus conuocandi Concilia ademptum Imperatoribus & Regibus Papa in se traxit. Neq; in Concilijs, aut alijs similibus solemnibus actionibus Reges regiam dignitatem obtinent, vt plenius docebitur cùm de Concilijs agetur.

Infra c.17 Locus vero Concilio eligitur ad quem non sit tutus accessus Episcopis & Ministris qui a Papa dissentiunt. *Asylia* quidem, seu saluus conductus eis

eis oblatus eſt a Synodo Tridentina; ſed nemo eorum auſus eſt induere ſe in hos caſſes, memor Iohannis Hus & Hieronymi Pragenſis qui ſub fide, immo per fidem publicam viui comburio conſumpti ſunt: & gnarus illius axiomatis Romanæ fidei, fidem non eſſe ſeruandam hæreticis.

Sed de Cardinalium origine & incrementis libet agere plenius, & his tenebris inferre lucem.

Cum ergo olim in vna eademq; paroecia, vt fit, plures eſſent presbyteri, qui priores inter eos tenebat, presbyter Cardinalis, id eſt, principalis & præcipuus dicebatur, teſte Pandulpho* Piſano: quem ſecutus Onuphrius, hiſtoriæ pater, librum de Epiſcopalibus titulis & Diaconijs Cardinalium ſcripſit. Fallitur enim Bellarminus lib. de Clericis cap. 16 vbi ait in Synodo S. Gregorij quæ habetur libro quarto Regiſtri cap. 88. poni ſubſcriptiones Presbyterorum Cardinalium: & inter eos, tres inueniri tituli S. Balbinæ, duos S. Damaſi, &c. Nulla enim ibi mentio Cardinalium: presbyteri vero eiuſdem tituli quorum ibi fit mentio, nihil aliud ſunt quam Presbyteri eiuſdem parœciæ, idq; ex veteri conſuetudine, per quam Eccleſiæ ſeu parœciæ vrbium tituli vocabantur. Sic Innocentius I. in Epiſtola ad Decennium Epiſcopum Eugubinum. *De fermento quod die Dominica per titulos mittimus*, id eſt per parœcias.

* *In lib. de vitis Pontificum. in electione alasij 2.*

Iſtius vero conſuetudinis qua præcipuus alicuius parœciæ presbyter, Cardinalis appellabatur, etiam hodie ſuperſunt non obſcura veſtigia. Nam Pontifex dans titulum & annulum nouis

Cardinalibus ſic infit: *Ad honorem Dei omnipotentis ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & ſancti N. committimus tibi Eccleſiam. S. Chryſogoni, vel Sabinæ &c. cum clero, & populo, & capellis ſuis ſecundum formam qua committi conſueuit Cardinalibus qui eandem Eccleſiam intitulum habuerunt.* Vt refertur lib. 1. Sacrarum Ceremoniarum Sectione 8. cap. 12. Sed hæc fiunt dicis cauſa, & (vt loquuntur) pro forma: Suntq; meræ voces ſine rebus. Nouus enim Cardinalis inde rectà in Galliam vel in Hiſpaniam; nunquam viſurus titulum ſeu parœciam vrbis Romæ a qua denominatur, & quæ hac concepta formula eius curæ commiſſa eſt. Inde eſt quod Romæ per annos pluſculos, viginti tantum & octo fuerunt Cardinales pro numero veterum parœciarum Romanarum. Erant videlicet ſeptenę ſub vnaquaque Eccleſia præcipua & Patriarchali, vrbis Romæ. Nam quinta, nempe Lateranenſis Papæ erat domicilium, eoq; nomine ſupra alias quatuor eminebat.

Durauit numerus iſte vſq; ad Honorium II. anno 1125. teſte Onuphrio: Tunc enim cœpit Cardinalium numerus augeri aut minui ad Pontificum arbitrium. Iamq; collapſa Rauennatis & Mediolanenſis Eccleſiæ dignitate, quæ diu fuerant æmulæ Eccleſiæ Romanæ, apud ſolos presbyteros & Diaconos Romanos manſit in Italia dignitas Cardinalitia.

Quod ad Diaconos attinet, vetus Eccleſia Romana ſeptem habebat Diaconos, ſecuta exemplum Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, in qua ſeptem Diaconos creatos ab Apoſtolis teſtatur Lucas

Actorum

Actorum ſexto. Eorum munus erat colligere & ſeruare eleemoſynas, & in pauperes erogare, inſtante communione Catechumenos, & pœnitentes templo eijcere: altari ſeu menſæ ſacræ aſſiſtere: panem & calicem Euchariſtiæ deferre ad ſingulos, immo & ad abſentes: ſacram menſam ferre humeris cum loco eſſet mouenda, legere Euangelium &c. S. Laurentius martyrio coronatus ſub Decio Imperatore anno 252. erat vnus de ſeptem Diaconis Romanis, teſte Prudentio in hymno Laurentij:

Hic vnus de ſeptem viris,
Qui ſtant ad aram proximi,
Leuita ſublimis gradu &c.

Concinit Epiſtola Cornelij Epiſcopi Romani ad Fabianum Antiochenum, quæ extat apud Euſebium lib. 6. Hiſtoriæ cap 43. in qua Cornelius ait ſuam Eccleſiam habuiſſe πρεσβυτέρους τεσσαράκοντα ἕξ, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτὰ, ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα &c. Idq; ex ſanctione Synodi Neocæſarienſis, cuius canon vltimus hæc habet: διάκονοι ἑπτὰ ὀφείλουσιν εἶναι κατὰ τὸν κανόνα, κἂν πάνυ μεγάλη εἴη ἡ πόλις.

Presbyteros quadraginta sex: Diaconos septem: Hypodiaconos septem: Acolythos quadraginta duos.

Oportet Diaconi sint septem iuxta regulam, etiamsi vrbs sit maxima.

Sed pace Eccleſijs parta, & per pacem diuitijs, & per diuitias ſuperbia, hi Diaconi cæperunt faſtu intumeſcere, & cum presbyteris de gradu contendere. Auguſtinus teſtis libro quæſtionum Veteris & Noui Teſtamenti, his verbis. *Faleidius duce ſtultitia & Romanæ ciuitatis iactantia Leuitas Sacerdotibus æquare contendit.* Nec multo poſt, *Romanæ Eccleſiæ Diaconi modico inuerecundiores videntur.* Quem faſtum Romanum damnat Hieronymus Epiſtola ad Euagrium. *Quid* (inquit) *mihi profers*

fers vnius vrbis consuetudinem? Quid paucitatem de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ, vindicas?

Sequentia sæcula auxerunt numerum Diaconorum, & cum septem non sufficerent multitudini, alij adjecti sunt. Qui vero inter Diaconos erat prior ordine, Cardinalis Diaconus dicebatur, id est, præcipuus.

Tunc temporis Episcopi Romani ab vniuerso clero & populo Romano eligebantur: veteri more & instituto quem habes planissimè descriptum ab Eusebio lib. sexto historiæ cap. 29. vbi memorat quo modo Fabianus in Episcopali sede a toto populo vnanimi consensu fuerit collocatus. Sic electus Damasus I. sic Gregorius I. qui detrectans Pontificatum scripsit ad Mauritium Imperatorem, ne pateretur electionem cleri & populi ea in re valere. Interceptæ sunt litteræ a Præfecto vrbis & discerptæ, scriptæq; aliæ quibus rogabatur vt quem populus & clerus legisset, Imperator confirmaret. Anno demum 1059. in electione Nicolai II. mentionem fieri Cardinalium apud Platinam inuenio, quibus tamen clerum & populum paulo post adiungit. Onuphrius dicit Gregorium VII. cognomento Hildebrandum, abstulisse populo Romano jus eligendi Pontificem anno 1072. eius tamen electionem Platina testatur factam non solum a Cardinalibus, sed & a toto Clero, sub multorum laicorum oculis & approbatione. Vnde constat non ita pridem electionem Paparum ad Cardinales esse redactam. Nec quicquam tam abhorret a veteri

Ἐφ' ᾧ τὸν πάντα λαὸν ὑφ' ἑνὸς πνεύματος θείου κινηθέντα, ὁμόσε προθυμίᾳ πάσῃ καὶ μιᾷ ψυχῇ ἄξιον ἐπιβοῆσαι, καὶ ἀμελλητήτως ἐπὶ τὸν θρόνον τῆς ἐπισκοπῆς λαβόντας αὐτὸν ἐπιθεῖναι.

veteri simplicitate quam scrupulosa illa disciplina quæ circa electionem Papæ hodie obseruatur. Obstruuntur cæmento & lapidibus fenestræ Conclauis, ne quid lucis illabatur. Peruestigantur interiora domus, ne quis lateat in insidijs. Cardinalibus conclaui inclusis totidem lecti & mensæ quot homines. Ingeruntur patribus cibi per foramen, panis in frustra concisus, potus in pellucentibus lagenis. Ne quid rerum quæ in Conclaui geruntur aut per Emissarios, aut per Epistolas occultè submissas, foras eliminetur sedula cautio. Ideoq; fores omnesq; aditus obsidentur præsidijs. Tum vnicuiq; Cardinalium prandium seorsim, nec fas vnâ accumbere, aut cibos inuicem mittere. Primis diebus lautus cibus & Saliares mensæ. At si tempus in longum traxerint, ortæq;, vt fit, dissensiones moram attulerint electioni, minuuntur Patrum fercula, & dimensum quotidianum acciditur: ingens festinationis incitamentum. Quid alia referam? Electum Papam circumstare, exuere, rursus induere, sublimem super altare locare, pedes osculari, adorare: mox per dirutam cum impetu fenestram electi nomen populo significare, vnde dissonus in plebe clamor, in alijs ficta lætitia, in alijs triste silentium, in pluribus vitulabunda exultatio. Atq; hi quidem mox noui Papæ ædes inuadere, moliri fores, diripere suppellectilem, legitimo & concesso latrocinio. Nihil hic prisci moris & probi, sed noua omnia & pars mysterij iniquitatis, occultæq; disciplinæ. Nec sanctius quod electus suum pileum Cardinalitium cui placuerit dono dat, quam consuetudinem

Augustus Thuanus historia lib. 6.

secutus

secutus Iul.III. anno 1550. pileũ suum dedit puero cuidã cui Innocentij erat nomen, simiæ custodi. Leuia hæc præ fœda illa suffragiorum nundinatione, qua vnusquique Cardinalis ingentibus præmijs & Principiũ pensionibus annuis emptus, suum suffragium huic aut illi Cardinali pretio addicit: nunc factione Hispanica, nunc Gallica, aut inter has media Italica præpollentibus: vnde Patres scissi in partes, & factionis diuersæ, & nunc horsum, nunc illorsum inclinantia suffragia. Inter quas moras, depositis pignoribus tota vrbe certatur, & solutis legibus liber regressus in vrbem fugitiuis atq; proscriptis, ferri omnia susq; deq; promiscuâ licentiâ: donec tandem patres sese foribus Conclauis proruunt, proceditq; ex tenebris nouus Papa, emptus quidem pretio, sed qui errare non possit in fide, ne quidem si velit, sed cælesti sapientia suffarcinatus omnia iura gestat in pectoris scrinio. Sic nempe orbi Christiano impunè illuditur, & dum prodigioso artificio & dolis recentibus ducitur hominum stupor, antiquitatis tamen nomen obtenditur: vsq; adeo, vt liber sacrarum Ceremoniarum rem ab ipso Petro repetat quem vult authorem collegij huius Senatorum penes quos esset electio Romani Pontificis. Cuius assertionis ipsum Bellarminum puduit, dum fatetur penes Clerum & populum olim Papæ electionem fuisse. Nam quomodo seruarent veteres consuetudines, qui etiam antiquauerunt nouas? Consilium enim Basiliense sessione 23. iubet *Cardinales esse numero viginti quatuor, nec plures. Sint non minores triginta annis. Sint magistri, doctores seu licentiati*

Lib. 1. sect. 1. cap. 3.

licenciati cum rigore examinis in iure diuino vel humano. Sit saltem tertia pars vel quarta de magistris aut licentiatis in sacra Scriptura. Ne fiant Cardinales nepotes ex fratre vel sorore Romani pontificis. Inter alia iurent se cultum diuinum in Ecclesia sui tituli, & eiusdem Ecclesiæ bona conseruaturos. Sessione quarta cauetur ne Papa stante consilio Cardinales eligat. Celestinus V. teste Langio in Chronico Citizensi, equorum vsum Cardinalibus ademit, iubens eos porro asinis insidere. Quæ omnia quanquam nupera, tamen exoleuerunt, gliscente in dies luxu & promiscua licentia. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi iussit Cardinales vti galero purpureo, mox & vestis concolor addita. Factum id proculdubio ad imitationem Senatorum veterum Romanorum, quorum latus clauus purpurâ intextus, erat Senatorii ordinis insigne, sed & Pontificum Romanorum, & Flaminum Dialium ac Quirinalium vestis erat purpurea. Ouidius IV. Fastorum.

An annum 1294.

Lib. 1. Sac. Cerem. Sec. 1. cap. 3.

Platina in Innoc. IV.

Illic purpurea canus cum veste Sacerdos.

Cæcilius apud Minutium felicem, Christianos sic incusat: *Sacerdotũ honores & purpuras despiciunt ipsi seminudi.* Qua in re illi ipsi qui Senatui huic fauent cum maxime, eius tamen desiderant prudentiam: debuerant enim hi patres alio quam purpureo colore vestiri, ne præberent nasutioribus occasionem suspicandi in eis impleri prophetiam quæ legitur capite Apocalypseos VI. *Vidi ego mulierem insidentem bestiæ coccineæ plenæ nominibus blaspemiæ, habenti capita septem, & cornua decem. Erat autem mulier illa amicta purpura & cocco*

co. &c. Cuius Prophetiæ difficilior fuiſſet interpretatio, niſi verba ſequentia illam quaſi luce perfunderent; additur enim verſu 9. *Septem capita ſunt ſeptem montes ſuper quos mulier ſedet.* Et verſu 18. *Et mulier quam vidiſti eſt vrbs illa magna quæ habet regnum ſuper Reges terræ.* Paulus II. teſte Platina primus pannum coccineum dono dedit Cardinalibus, quo equos ſuos vel mulas ſternerent, nimirum vt hæc Prophetia, non in ſolum Pontificem, ſed & in ſingulas Papalis ſedis columnas, & primaria ſubſidia quadrare diceretur.

Quemadmodum autem Papa frequenter iactat (neq; id abs re) ſe in imperij Romani veteris iura & titulos ſucceſſiſſe: Ita & hic Senatus Romanus, in veteris Senatus Romani locum manifeſtè ſucceſſit. Iudicio eſt nomen ipſum Senatus, tum veſtis purpurea, nec non Apotheoſes, quas vocant Canoniſationes, ex huius Senatus decreto. His adde legatos inde per prouincias miſſos, & cætera veteris illius Senatus imitamenta.

Ex his liquere arbitror quid huius æui Cardinales a veteribus differant. Quod vt planius fiat, libet rem in pauca conferre, & differentias ordine perſequi.

1 Veteres Cardinales erant Presbyteri aut Diaconi parœciæ alicuius, quorum prouincia erat docere populum, & adminiſtrare Sacramenta. At hodierni Cardinales non prædicant Euangelium, nec eis vlla incumbit cura animarum: Sed ſunt Senatores Romani, Regibus pares, Papæ conſiliarij, &c.

2 Tunc

2 Tunc, Cardinalem esse erat officium, & opus, nunc est beneficium & dignitas par regiæ.

3 Tunc nemo fiebat Cardinalis nisi alterius morte. At nunc Papa creat quos, & quot, & quando lubet. Vnde factum est aliquando vt numerus Cardinalium per incuriam Pontificum redigeretur ad paucissimos. Vsque adeo vt in electione Vrbani IV. duo tantum Cardinales adfuerint, si fides Onuphrio. Vicissim Leo X. vna die creauit octo triginta.

4 Tunc Cardinales Romani agebant Romæ. Nunc vero sunt vbiuis gentium, & in aulis conspiciuntur, & sacro Regum Consistorio intersunt ac præsunt.

5 Nec dubium quin ad Cardinalatum proueherentur aptissimi quique, & ætate ac doctrina commendabiles. At nunc purpureus galerus datur pueris & filiis Principum illiteratis : Idque per intercessionem Principum : habeturque vt plurimum ratio, non eruditionis aut morum, sed vel familiæ, vel nauatæ operæ alicuius, quæ non semper est proba.

6 Tunc, nomen Cardinalis non attollebat presbyterum in gradum suis symmystis sublimiorem, sed prioritatem tantum ordinis dabat sine potestate, vt fatetur Onuphrius his verbis. *Nihil dignitatis aut præeminentiæ antiquitus illis dabat esse Cardinales.* Nunc Cardinales cæteris Clericis immensum quantum antestant, eosque ex edito loco despiciunt.

7 Res fuit apud veteres inaudita, ex Episcopis facere Presbiteros vel Diaconos : id enim est

præter

præter totius veteris Ecclesiæ institutum: At nunc ex episcopis fiunt Cardinales Presbyteri: Ita fit vt Episcopus per capitis diminutionem crescat, & capiat ex dispendio compendium.

8 Tunc temporis, Cardinalis certæ Ecclesiæ seu parœciæ alligabatur, Nunc conuerso more, qui fit Cardinalis liberatur vinculo quo tenebatur astrictus suo Episcopatui: Fidem facit formula nominationis nouorum Cardinalium inserta lib. 1. Ceremoniarum sacrarum, Sectione 8. cap. 3. cuius hæc sunt verba. *Authoritate Dei patris omnipotentis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra. N. Episcopum Firmanum absoluimus a vinculo quo tenebatur Ecclesia sua Firmana, &c.* Quapropter in promotione noui Cardinalis omnia eius beneficia censentur vacantia & impetrabilia, nisi ea deinceps habendi facultas de nouo concedatur à Pontifice.

Lib. 1. Sac. Cere. sect. 9. cap. 14. censentur omnia beneficia promoti vacantia.

9 Sed & tunc temporis ignorabantur hæc omnia; Capere annulum & pileum purpureum de manu Papæ, post pedum oscula. Claudere & aperire os Cardinalibus nouis. In pompis solemnibus, summis scipionibus ferre quatuor galeros coccineos: Quasi tacitè loquente Papa, & sic compellante conscientias spectantium. *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam & gloriam, quia mihi tradita sunt; & cui volo do illa.* Lucæ 4. Hoc nimirum est vocare seruos ad pileum.

Lib. 1. Sac. Cere. sect. 2. cap. 3. hos sequũtur quatuor nobiles pilea, quatuor carmasina supra baculos quatuor deferentes.

10 Neque vero arbitror, si quis olim ex Cardinali Romano factus esset alterius vrbis Episcopus, nomẽ Cardinalis retinuisse. Nunc res esset non ferenda, & supplicium morte grauius si quis

ex

ex Cardinali fieret merus Episcopus, adempto pileo.

11 Olim Cardinalium Diaconorum munus erat ſacram menſam ferre, nunc vero Papam humeris geſtant. Cauſam habes apud Innocentium III. primo libro Myſteriorum; Miſſæ cap. 5, *Quia* (inquit) *erat Leuitarũ geſtare Arcam fœderis*, quam arcam vocari frequenter in ſacra ſcriptura Deum & Iehouã nemo neſcit. Et hi igitur Deum humeris baiulant, quandoquidem Papa Deus frequenter appellatur in Conciliis, & Decretis, vt ſuo loco docebitur.

Cap. IV.

De Ieſuitis.



MVlta Sereniſſimus Rex de Ieſuitis conqueritur, quos ait puluerariæ coniurationis non modo conſcios, ſed & incentores & inſtigatores fuiſſe.

Ad hæc Cuffetellus prolixè: Principio iubet *Regem de his Patribus æquius indidicare: Ieſuitas vſque adeo Regi eſſe fidos & deuotos, vt non dubitent adire quoduis capitis diſcrimen dum proſint Regi, eumq; tueantur. Onerari viros bonos iniuſtis calumnijs. Chriſtianiſſimum Regem moribus eorum introſpectis, aliter de eis iudicaſſe, eos amaſſe, fouiſſe & inter familiares habuiſſe. Non ſi quis eorum in caput Regis fuit ſceleratus, idcirco totam ſocietatem affinẽ eſſe culpæ, aut hoc opprobrium in cæteros inſontes* &

& probos debere redundare. Eorum doctrinam & in instituenda iuuentute industriam (qua tamen præcipuè se in vulgus iactant) Cuffetellus non attigit, fortè oblitus, an per æmulationem.

Habet ergo (si huic creditur) Rex Serenissimus, quo lætetur, & suam vitam putet in tuto locatam pro qua tuenda Iesuitæ tam sedulo excubant. Felicem Regem his defensoribus, & amicis : Neq; vero authores vnquam fuerunt conspirandi in Regem, sed in Henricum aut Iacobum. Estque eorum stupor non ferendus, qui distinctionum non gnari, putant occidi Regem, quando occiditur vir de facto regnans; sed quem Papa exauctorandum censuerit. Sic nec inuolant temporalia, quandoquidem ea quæ occupauerunt, fiunt spiritualia. Talia certe Cuffetellus serio ne an ioco scripserit non abs re potest dubitari. Neque vero crediderim eum circa coniurationem puluerariam, malle credere confictis rumusculis, quam actis publicis, quam reorum confessionibus, quæ manu eorum scriptæ a sexcentis viris lectæ sunt,& in publicis scriniis asseruantur.

Quod vero in Henrici IV. iudicio serio triumphant, id ego quomodo ipsis tãtopere faueat non video. Quis enim nouit an Rex optimus voluerit Deum imitari vtentem opera improborum ad ea quæ vult exequenda? Quis scit an voluerit ad instar Vlissis secum habere ventos vtre conclusos, ad auertendam tempestatem? Quis scit an id fecerit ad obseruandum preceptum Euangelij, quo iubemur amare eos qui nos oderunt? An & voluit suis beneficiis vincere eorum malefacta, ac vt

est ingenium optimorum Principum, malle videri inuenisse bonos quam fecisse? At Regis inuictissimi consiliis hac in parte, successus defuit: & Rex tantus, belli & pacis artibus iuxta clarus qui subditis peperit quietem, per cuius vigilantiam factum est, vt subditi tuto dormirent, qui se sibi abstulit dum se dat reipublicæ infando scelere medio in triumpho a fœdissima bellua obtruncatus, insigne dedit documentum quid possit irritata superstitio, quid turbulentæ conciones, quid confessiones instillantes sanguinem. Interrogatus enim parricida respondit, sibi Regem occidendi causas fuisse multas, quas qui nosse vellet, concionum nouissime habitarum meminisset. Addebat & Regem Papæ esse aduersum, Papam vero esse Deum, Deo autem inimicum esse tollendum. Cæterum distinctiones & agumenta quibus Marianæ, Francisci Veronæ, Bellarmini, aliorumq; eiusmodi scripta referta sunt, homo in cæteris vecors & plumbeus, accuratissimè callebat: seu legerat hæc, seu ab alijs audiuerat.

Quod vero quidam faciunt Iesuitas Rei litterariæ Principes hoc equidem qua fronte aut ore dici possit non video. Nisi forte Amphitheatrum honoris Caroli Scribanii, qui se turbato ordine litterarum Clarum Bonarscium inscribit exemplar est eloquentiæ & eruditionis comptæ: liber quo non alius post litteras natas prodiit ineptior. Stilus ferreus, oratio confragosa, & desultoria vanitas, quæ dum rancidas voces coaceruat, non modo excidit a puræ latinitatis vena, sed & a sensu communi. Hæc siliqua sonora est, sed cibus est

porcorum. Ipſe Tullius ſi reuiuiſceret, ita ſcribentem non intelligeret. Nempe conclamatum erat de re litteraria, niſi putidus ludimagiſter & ſcutica dignus intermortuam eloquentiam ex inferis hac loquendi ſartagine excitaſſet. Adeo ne quenquam eſſe auerſis litteris natum, vt hæc laudet, aut ferat aut legens non indignetur? Nimirũ reſpondet ſtilus argumento: & venenata doctrina prodigioſa oratione veſtitur.

At ſedulo excolunt ingenia adoleſcentum, & ex eorum ſchola quaſi ex Muſarum aluearibus prodeunt examina doctæ iuuẽtutis. Hoc ſi verum eſt, qui fit vt ex quo Ieſuitæ deſudant in Pædagocico puluere, inter ingenia noſtra inoleuerit barbaries & honos ac vis bonarum literarum ſit tantopere imminuta? Vbi nunc ſplendor ille Academiæ Pariſienſis, quæ non ita pridem erat triginta millibus ſtudioſorum frequens? At nunc iacet miſeré deſolata, degenerantibus ſcholis in barbariem ex quo hi literatores occeperuut truncatos authores & deartuatos pueris proponere, & non ipſas artes, ſed artium ἀκρωτηριασμὸν, & minutula compendia docere. Auertunt enim iuuentutem a Græcis fontibus, nec tingunt ingenia ſucco veteris Philoſophiæ. Da mihi aliquẽ de ſchola Ieſuitarum ſolide doctum, aut qui poſſit in litteris Latinis aut Græcis cum Scaligero, Caſaubono, Lipſio, Paſſeratio comparari. Nonne hi quos hodie habet Curia Parlamenti viros doctos & graues, ex Turnebi & Cuiacii Schola, non vero ex Ieſuitarum lacunis prodierunt?

Hanc ergo eruditionis famam debent non ſuæ doctri-

doctrinæ, sed astutiæ qua gratis pueros docent, & Mineralium pueris gratiam faciunt. Dum interea opimas hæreditates adeundo, fundos, domos, legata amplissima captando, paucis annis rem fecerunt non mediocriter, & opes infinitas congesserunt. Nouum sane genus aucupii, pro stipe menstrua capere integra patrimonia, & si quam in domum irrepserint, specie religionis, quasi retiaculo cuncta conuerrere.

De horum hominum origine & incrementis multi multa, neque mihi animus hæc persequi. Pauca tantum de nomine, post de instituto. Nomen sibi imposuerunt nouum, nec carens mysterio: videntur enim docere alium esse Iesum à Christo, quandoquidem hodie, Iesuitam esse, & esse Christianum, res sint diuersæ. Cum vero Apostoli pro magno duxerunt dici discipulos Iesus, hi vero se vocent Iesus socios, mirum ni ipsos Apostolos superant sapientia. At debuerant meminisse vnum toto Euangelio vocari *Socium Iesus*, nempe Iudam Iscariotem quem Iesus sic compellat, Matt. 26 vers. 50. ἑταῖρε ἐφ᾽ ᾧ πάρει *Socie quorsum ades, aut ad quid venisti?* Quotiescunque ergo Iesuita aliquis venit inuocatus, aut perruptis custodibus interioris admissionis regibus adrepit, fas illum iisdem verbis affari: *Socie ad quid venisti?* Hoc genus hominum Papæ rebus pene conclamatis opportunum attulit subsidium, quasi re ad triarios redacta.

Mitto ea quæ aduersus eos ab aliis Pontificiis scripta, aut frequenti Senatu acta: Tumque in eos a Curia Parlamenti decreta quæ quidem eos 29. Dec. 1594.

arresto celeberrimo, cameris congregatis pronuntiauit hæreticos, corruptores iuuentutis, publicæ tranquillitatis perturbatores, & perduelles: & toto regno expulit, erectâ ad perpetuam rei memoriam pyramide cum Elogiis inscriptis.

Mihi satis sit præcipuas nouæ disciplinæ regulas & axiomata recensere, ex quibus iudicari possit ad salutemne Rerum publicarum, an ad pernitiem noua ista societas sit instituta.

1 Principio, istius societatis Generalem oportet esse Hispanum aut regi Hispaniarum subditum: neque hactenus aliter factum. Quod iustam inijcit suspicionem prudentibus, ad promouendas, præcipue res Hispaniæ, & amplianda Hispanici regni pœmeria ϑεραπείαν istam cœpisse.

2 Huic Generali, & suis (vt loquuntur) superioribus vouent obedientiam non solum *voluntatis*, sed etiam *iudicij*, quam vocant *obedientiam cæcam*, hæc enim sunt vocabula ἄτεχνα. Hoc iubet Ignatius in Epistola quæ subiecta est libro qui inscribitur *Regulæ Societatis Iesu*, vbi vult *non secus ac Christo ipsi, superioribus obtemperari, & Iesuitas cæco quodam impetu voluntatis parendi cupida sine vlla disquisitione ferri, alioqui* (inquit) *perit celebris illa obedientiæ cacæ simplicitas.*

3 Hanc cæcam obedientiam ne quid impediat ab Episoporum potestate & iurisdictione sunt immunes & liberi.

4 Idem docet Papam posse Imperatores & reges excommunicare, Excommunicatos Regno priuare; Regno exutos interfici iubere; vt supra docuimus ex Bellarmino, Becano, Mariana, & alijs

aliis: qui libri eo nomine a Curia Parlamenti damnati, duo etiam posteriores tortoris manu cremati sunt.

5 Asserunt quoq; Clericos non esse Regum subditos, ac proinde Clerici rebellionem in Regem non esse crimen læsæ Maiestatis: Emanuel Sa in Aphorif. confessariorum in voce *Clericus*.

6 Affine istud est, Clericum debere quidem obsequi legibus Regni, sed vt id faciat cogi non posse, & vt ait Bellarminus lib. de Clericis cap. 28. *Legibus teneri Clericos obligatione non coactiua, sed solum directiua.*

7 *Tyrannicé gubernans iusté acquisitum dominium non potest spoliari sine publico iudicio. Lata vero sententiâ potest quilibet fieri executor Aphorismi Confessariorum sub littera T. in voce Tyrannus, pag. 293 editionis Antuerpianæ.*

8 *Papa potest absoluere subditos Sacramento fidelitatis.* Hoc docet Bellarminus toto libro in Barklaium, & ea de re prolixe inferius agetur.

9 *Pontifex potest dispensare in votis & iuramentis quæ Deus ipse iussit reddi, & quorum solutio de Iure diuino est.* Bellarm. in Barkl cap. 21.

10 *In bono sensu dedit Christus Petro* (ac proinde Papæ) *potestatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum.* Bellarmin. in Barkl. cap. 31.

11 *Cum quis nullis iustis indicijs in ius vocatur, quia nemo tenetur se ipsum Magistratui prodere, idque lex naturæ satis docet, aperte & libere sine vlla tergiuersatione negare potest id cuius gratia accersitur quia semper clausula illa intelligitur, vt tenear Di-*

cere. Andræas Eudæmonoiohannes Cretenſis, in Apologia Garnetti pag. 38. Scripſitque de Æquiuocationibus Parſonius Ieſuita Anglus. Extat etiam Æquiuocationis tractatus in Anglia a Pontificiis editus, addita approbatione Henrici Garnetti & Blakuelli Archipresbyteri, vbi prolixé hæc diſputantur. *Graſſante* (inquit Tractatus) *per Angliam peſtilentia, quidam Londino, vbi vis maxima erat mali Couentriam venit. Ad portam vrbũ occurrit Magiſtratus, qui delato iureiurando ipſum interrogat veniat necne Londino? ille negat ſtrenue & dictis iureiurando fidem facit.* Hoc periurio quicquam peccari negat liber ille, mendatijperiurijq; magiſter. Inter alia Garneti quæ ipſe manu ſua ſcripſit, per quæ ad varias ſibi propoſitas quæſtiones in carcere reſpondit, die decima Aprilis hoc reſponſum dedit. *Si quis ſuſcepit aut ſuſcepturus eſt conſilium Regis occidendi, is non tenetur verum fateri, licet adducatur ad Legitimum magiſtratum, donec probationes extiterint ad conuincendum ipſum idonea.* En latebras paratas parricidio, en mentiendi artem. Quis mirabitur ſi his magiſtris, quibus mentiri pars eſt pietatis, ſontes coram Iudicibus frontem perfricant, & malefactis ſuis obtenduut nebulam ſtropharum, innocenti (vt putant) periurio & legitima impudentia? Hæc ſunt euaſiones illæ mentales, quæ ſi in Eccleſiam fuerint admiſſæ, nemo erit qui non putet ſibi licere coram Iudicibus infeſtis Chriſtum & veram religionem abnegare. Sic loquendo, *Ego non ſum Chriſtianus, nec Chriſtum colo aut curo, ſed tacite ſecum ſupplendo, vt tibi dicam, aut vt tenear tibi dicere.* Vel ſic,

Vide Epiſt. Caſauboni ad Frontonem Ducæum in qua plura eiuſmodi ex publicis ſcriniis proferuntur.

Iuro

Iuro me numquam participaturum Sacra Cœna, tum tacite secum, *currendo vel saltando*. Similem Arij fraudem, qua Constantino imposuit lege apud Nicephorum lib. 8. cap. 5.

12 *Nullum tantum potest esse malum cuius vitandi causa confessionem prodere liceat*. Eudemonoiohannes in Apologia Garneti cap. 13. & Suares tractatu de Pœnitentia. Sic Bellarminus laudat Garnetum quod rem (.i. coniurationem puluerariam) sub confessionis sigillo sibi reuelatam, noluerit reuelare. De qua nefaria doctrina abunde actum capite secundo.

13 *Confessio est de iure diuino, sed Regum authoritas est de iure humano, leuiori ergo damno Reges omnes quotquot sunt occiderentur, quam si vel vna confessio reuelaretur*. Quæ fuit oratio Iesuitæ Bineti ad integerrimum virum Casaubonum, & fide dignissimum, vt ipse testatur in sua ad Frontonem Ducæum epistola. *Pag. 140. Editionis Londinensis.*

14 *Ad perdendos inimicos licet occidere amicos, si tantum ex ea re boni prouenturum est, quantum aliquod insontium necem compensare potest*. Hoc respondit Garnetus Catisbeio roganti an nefas esset insontes cum sontibus pariter exufflari: vt testantur acta publica, neque diffitetur Iesuita Eudemonoiohannes in Garneti Apologia pag. 103. & quasi recté dictum tuetur. At hic Cretensis κακὸν θηρίον non vidit Zeloticum istum furorem pugnare ex diametro cum Dei bonitate. Deus enim parcit malis ob bonos, hi vero nequidem bonis parcunt ob malos. Immo vero Deus vt seruet paucos bonos, ignoscit multis malis, non

delèturus Sodomam si in ea inuenti fuissent quinque iusti. Idem vetat Zizania euelli, ne bonæ sementis aliquid vna euellatur.

Math. 13. vers. 29.

15 *In conspiratione aduersus Reges, licet admissos in societatem criminis sumptione Sacramenti ad silentium obstringere.* Hoc factum a Garneto, Oldcorno, alijsq; Iesuitis vt coniuratorum conscientias iniecta religione illigarent, & sacro horrore percellerent. Cuius rei fidem faciunt acta publica & Garneti aliorumq; confessiones, neque it inficias Eudæmonoiohannes. O facinus indignum! ô zelotarum ad omne scelus proiectam audaciam! Siccine Sacramenta corporis & sanguinis Christi fieri proditionis incitamentum? Siccine tremenda mysteria adhiberi non ad firmandam erga Deum fidem, sed ad accendendam erga Reges perfidiam? non ad annuntiandam mortem Christi, sed ad patrandam cædem Principum, quos scriptura Christos Dei nuncupat. Hæccine illa præparatio & sui δοκιμασία quam Paulus vult præmitti sacro conuiuio? aut quæ hæc est pietas datis sacrosanctis pignoribus quasi subditis facibus crudelitatem accendere?

16 Hoc quoque pars est Iesuiticæ disciplinæ. Si quem habuerint adolescentem, cuius animus æstuet atrocis alicuius sceleris conscientia, compingunt hominem in obscurum conclaue, quod vocatur Camera meditationum, figuris diabolorum circumpictum, ibi misellum adolescentem tenebris, carcere, & inedia macerant, & spectris terrent. Tum allegatur ad eum aliquis e Patribus qui grauitatem peccatorum oggerat, horrorem diuini

diuini judicij oculis ſubijciat, & pauitanti ac anxio perſuadeat non aliam ej ſupereſſe viam ad ſalutem, quam ſi ingenti aliquo facinore & Eccleſiæ ſalutari peccata expiet. His artibus ſe inſtigatum eſſe ad audendam Henrici IV. cædem Iohannes Caſtellus faſſus eſt, vt teſtatur quæſtio habita de eo, & eius confeſſio, quæ in tabulario Curiæ Parlamenti aſſeruatur.

17 Salas Ieſuita tractatu 8 diſputatione vnica, ſect. 5. hæc habet. *Reſpondetur ſecundò non eſſe peccatum exponere ſe periculo violandi legem Dei incertam & dubiam: Immo interdum non eſſe peccatum exponere ſe periculo violandi legem Dei certam & indubitatam, nam qui verſantur inter infideles ſunt in magno periculo peccandi* &c. Et paulo poſt. *Religioſus efficaſiſſima deberet habere motiua vt probabiliter opinaretur veram eſſe diſpenſationem qua ſecum diſpenſaret Deus, vt matrimonium contraheret ſecundum communem legem, hactenus enim nunquam Deus diſpenſauit: ſi tamen veram probabilitatem haberet, poſſet ad euitanda magna inconuenientia vti diſpenſatione dubia & tantum probabili.*

Sanches lib. 9. de debito coniugali, diſp. 46. § 15. Docet *non eſſe mortale obſcenas brutorum partes confricare, quia inde non excitatur tam vehemens delectatio, ſed modica quadam* &c. Cætera citare pudor non permittit.

Poſſem infinita eiuſmodi congerere, ex Ieſuitarum ſcriptis quæ non modo peſſundant totam Religionem, ſed & euellunt ex animis ſemina omnia æquitatis naturalis & honeſtatis ciuilis. Vnus Sanches Ieſuita in ingens volumen de matrimonio

trimonio tantùm congessit sordium impudicarum, & libidinis arcanæ artificia tanta ἀσελγεία excussit, vt nihil ad hoc sint Sybaritici libri, & *molles Elephantidos libelli*. Mihi satis erit proferre in medium vnum Toletum Cardinalem, virum cæteris honestiorem, & dignitate præcipuum ac præcellentem doctrina, omniq; inter Iesuitas exceptione maiorem. Is scripsit librum *de instructione Sacerdotum*, cui præfixa est approbatio plurimorum doctorum, continentem capita Iesuiticæ doctrinæ: quorum nonnulla lubet proponere.

18 *Administratores, Iudices, gubernatores seculares conuenti ab Episcopis & viris Ecclesiasticis quod iustitiam non seruent, si quantùm necessitas exegerit, absq; negligentia id non correxerint, post trinam admonitionem, ipso facto sunt excommunicati* lib. 1 cap. 37. Cui dogmati si addas id quod idem auctor ait eiusdem libri cap. 13. *Excommunicatus non potest exercere actum iurisdictionis absq; peccato, immo si publica est excommunicatio facta, sententiæ nullæ sunt:* facile comperiet omnes regni magistratus, & ipsum regem, cadere officio, quotiescunque libuerit Papæ vel Episcopo eos excommunicare: Quo dogmate insuper datur potestas Clericis inquirendi in gesta magistratuum & judicum, recténe & secundum leges iudicent, vt planè necesse sit Clericis esse peritis legum ciuilium, si quidem de judicum ipsorum judicijs sunt judicaturi.

19 *Qui tenebantur obnoxij vinculo fidelitatis vel iuramenti alicui liberantur a tali vinculo, si is inciderit in excommunicationem* lib. 1. cap. 13.

20 *Cum ex aliqua vehementi passione accidit, vt in*

in voluntate insurgat volitio vindictæ, aut alicuius mali, si talis est vt non sit pro tunc in nostra potestate non velle, non est peccatum. lib. 3. cap. 1.

21 *Si fœmina a marito conclusa in cubiculo, a quo fugere non potest, habetq́; vir pugionem ad ipsam confodiendam, expectat tamen vt ipsa quiescat, an licet vxori prauenire & occidere virum? Dico licere, & ratio est aperta* &c. lib. 5. cap. 6.

22 *Si nobilis non potest fugere iniuriam notabilem inferendam, vt ligni percussionem paratam, potest tunc occidere inimicum* lib. 5. cap. 6.

Addit tamen hoc non licere nisi nobilibus, quasi lex diuina de non occidendo minus nobiles quam plebeios astringeret.

23 *Mentiri in confessione non semper est peccatum mortale* lib. 3. cap. 9.

24 *Si quis stuprum intulit virgini, & promisit illam ducere, aut cum iuramento, aut sine illo, tenetur sub mortali ducere. Si tamen esset inferioris multò conditionis sufficeret eam dotare,* pag. 606.

25 *Est aliquis qui iusto pretio non potest vendere vinum, vel propter iniquitatem iudicis, vel propter emptorum malitiam, tunc iste potest minuere mensuram, aut parùm aquæ miscere, & vendere pro puro ac pro completâ mensurâ, iustum exigendo pretium, dum modo non dicat mendacium,* lib. 8. cap 49.

26 *Mulieres accipientes pretium pro actu illicito carnis, non obligantur ad restitutionem, quia actio ista non est mala contra iustitiam, quamuis sint virgines & coniugatæ & cuiuscunq; conditionis. Et quamuis accipiant pecunias in excessu vltra pretium actus turpis, si libere donetur illis.* lib. 5: cap. 19. Quæri posset

a Ie-

a Iesuita quodnam sit iustum pretium positum turpi isti actui, & qua lege constitutum.

27 *Blasphemia aliquando fit cum aduertentia, aliquando sine aduertentia vt cum homo ira aliqua aut passione motus, non aduertens verba quæ proferebat, protulit blasphemiam: priori modo est peccatum, posteriori vero non semper* lib. 4. cap. 13.

28 *Qui vouit castitatem aut religionem simplici voto non potest vxorem ducere: si ducat, mortaliter peccat: tamen tenet matrimonium, sed non potest exigere debitum, sed reddere, sine Pontificia dispensatione* lib. 4. cap. 18. Mira vero seruitus cum habeas vxorem, matrimonio rite copulatam, non posse cum ea consuescere nisi petita venia a Pontifice, aut nisi ipsa vxor postulet.

29 *Fideles si sint in gratia, & ob debitum finem actu coniugali vtantur, merentur in ipso actu, sicut in alio bono opere* lib. 7. cap. 5. Magnum vero meritum & ob quod Deus vltro debeat: Ne proferamus quæ idem Cardinalis turpi ἀκριβολογίᾳ persequitur capitibus 15. 16. & 24. libri 7. pudor impedit, officerent enim honestis auribus.

30 Libro quinto cap. 12. quærit *an si vir & vxor teneantur conclusi in Ecclesia vnde exire nequeant, coniugalis actio in loco sacro sit peccatum mortale & Ecclesiam polluat*, Respondet Iesuita *si fiat ad vitandam incontinentiam licitum esse, nec Ecclesiam pollui: si secus peccatum esse mortale.*

31 *Si ebrius non compos rationis fornicaretur, non peccaret.* lib. 5. cap. 10.

32 *Dominis temporalibus licitum est permittere vsurarios, sicut permittuntur etiam meretrices ad vitanda*

tanda maiora mala. Deus enim etiam permittit peccata lib. 5. cap. 37. Concinit Bellarminus lib. 2. de amissione gratiæ, cap. 18. § Dicet. *Non peccat Magistratus si meretricibus certum locum vrbis incolendum attribuat, quamuis certò sciat eo loco ipsas non bene vsuras. Potest enim permittere minus malum vt maiora impediantur.*

33 *Licitum est ad occultandam infamiam vel vitæ periculum filios ex adulterio exponere in hospitali* lib. 5. cap. 11.

34 *Adulter potest quidem vxori reddere debitum, sed non habet ius petendi.* Ibidem de masturbatione quam vocant pollutionem voluntariam, hæc habet lib. 5. cap. 13. *Si quis pollutionem desideraret ob bonum finem scilicet sanitatem, vel ad leuandas tentationes quibus interdum affligitur non esset peccatum.* Quid quod hac in re vult esse magnum meritum? *Si* (inquit) *voluntas cohibeat consensum, & patienter hoc ferat, est materia magni meriti.* Et paulo post *Si confessarius dum audit confessiones, in tales incidit pollutiones, non ob id tenetur non audire alios.* Vbi frons, vbi pudor? & hæc ferri & probari?

35 De eo qui rem alienam vi aut furto ablatam iniuste detinet, sic censet. *Nullus tenetur cum vitæ periculo aut famæ rem alterius restituere: sunt enim vita & fama nobilioris ordinis quam res.* Lib. 5. cap. 37. At ego conscientiam & Dei timorem putaueram pluris esse quam famam, immo & quam vitam.

36 *Cum testis accipit pecunias vt falsum testimonium dicat quamuis teneatur restituere damnum illatum alteri, tamen non tenetur restituere pecunias quas*

accepit vt falsum diceret. lib. 5. cap. 59.

37 De alea & taxillis sic pronunciat. *Hi ludi non sic sunt prohibiti, quin ob recreationem, & cum summa parua est, liceant etiam clericis* lib. 5. cap. 27. Sanctius nostri Iesuitæ Turnonenses qui pretium lusus faciant certum numerum *Pater*, & *Aue*, quem pro victore recitaturus sit qui in lusu victus fuerit.

38 *Potest reus sine peccato mortali confiteri peccatum sibi falso impositum, pro cuius confessione torquetur: nec hoc est mortale, quamuis sit ob talem confessionem suspendendus.* lib. 5. cap. 66. Hic tamen ipse sibi lethum consciscit, quod pessimum genus est homicidij.

39 De homine capto a latronibus & dimisso sub iureiurando se centum aureos eis daturum, sic censet: *Potuit æquinoce iurare ratione coactionis, dicendo, iuro me daturum, & intra se, si mihi libuerit, & tunc non tenetur, quia absolutè non iurauit daturum.* lib. 4. cap. 22. Idem dicit de eo qui iniustè detinetur in vinculis, & sub fide data redeundi dimittitur. Plus ergo in Ethnicis fuit honestatis & conscientiæ quam in his Patribus. Cicero enim primo officiorum inter malæ fidei exempla refert factum militis captiui qui *insiurandi fraude culpam inuenerat. Cum enim Annibalis permissu exisset de castris, rediit paulo post quod se oblitum nescio quid diceret: deinde egressus e castris, iureiurando se solutum putabat: & erat verbis, re non erat.*

40 De sigillo confessionis sic loquitur. *Aduertendum obligationem sigilli esse tantam, vt nulla prorsus causa, neque etiam propter saluandam vitam propriam,*

priam, nec propter salutem totius Reip. possit confessarius peccatum pœnitentis reuelare, lib. 3. cap. 16. Nota vocem *totius*. Ergo multo minus ob Regis vitam.

41 De reo interrogato in iudicio an fecerit aut an habuerit conscios & participes sceleris, sic censet. *Cautus debet esse reus vt talia verba proferat iuxta suam intentionem in sensu vero, puta, vt intendat dicere* NON FECI, *puta, in carcere, &* NON HABVI COMPLICES, *puta, in alijs criminibus* .lib.4. cap. 58.

42 De absolutione ab excommunicatione hæc ait. *Potest aliquis inuitus absolui immo & ignarus & inscius absolutionis. Potest etiam absolui, absens & per litteras, vt & potuit per litteras excommunicari. Potest quoq; fieri absolutio per procuratorem, & per commissarium seu subdeligatum, qui non sit Presbyter, nec Diaconus. Absoluitur autem peccator interdum cum verberibus. Absolutio iniusta valet. Tum si Episcopus absoluit non præmissa satisfactione tenet absolutio.* Hæc habes sparsa toto capite 14. lib. 1. Quibus adde quod dicit cap. sequenti. *Excommunicatum & hæreticum posse dare absolutionem in articulo mortis.*

43 *Contritionem habere venalium peccatorum non est necessarium, hæc enim absq; contritione remitti possunt.* lib. 2. cap. 5. Paulo post quærit an homo statim post peccatum teneatur de ipso conteri, & sibi respondet hoc modo: *Probabilius dico cum alijs quod non teneatur statim, etiam si recordetur sæpius commissi peccati. Solum enim tenetur tunc non in ipso cõplacere, tamen* NON TENETVR POENI-

NITERE, *sed potest mentem alio diuertere.* Excipit tamen, si sit tempus periculi vt in morbo aut tempestate.

44 *Ordines etiam maiores, etiam Presbyteratum posse conferri infantibus nondum vsum rationis habentibus est communis doctrina, quamuis non desint qui contrarium sentiant: Illud tamen verius*, lib. 1. cap. 16. Res sane perbella audire Presbyterum vagientem in cunis: habentem proculdubio eas dotes quas Paulus 1. ad Timot. cap, 3. desiderat in eo qui Episcopatui destinatur.

45 *Ligna comportantes ad comburendos hæreticos non sunt irregulares & rationem addit, quia dant operam rei licitæ*, lib. 1. cap. 86. Vidi ego leges Fliscensis Gymnasij Iesuitarum, in quibus cautũ ne adolescentes spectent capitalia supplicia sontium: nisi fuerint hæretici. Hæc enim supplicia breui restituenda in Galliæ regno, augurantur: & sibi in hac spe blandiuntur Nos vero Iesuitis optamus vitam & mentem meliorem.

46 *Multi sunt iusti, qui ob nulla, aut paucissima, eaq; venialia peccata quæ committunt, aut nullius aut paucæ pœnæ sunt debitores. Hi quia non debent pœnam satisfactione non indigent*, lib. 6. cap. 21. Mirũ sane inuenire homines qui frontem vsque adeo perfricent, vt ausint contra Scripuram pertendere, multos esse homines sine peccato.

47 *Non quia Apostolus prohibuit bigamiam, ideo licet inferre, esse de iure diuino, cum certum sit non omnia quæ Apostoli instituerunt iure diuino fuisse instituta*, lib. primo cap. 68. Hoc autem ait, quia Paulus vetat Episcopum esse bigamum, Papa autem

tem diſpenſat in bigamia, & quoſdam clericos bigamos admittit.

48 De cauponatione quam Papa exercet pro abſolutionibus & diſpenſationibus ſic loquitur. *Dico non eſſe murmurandum contra Papam, qui exigit pro his pecunias, non per modum precij, nam iſta ad ſuſtentationem dantur, qua multum indiget tanta in Eccleſia dignitas*, lib. 5. cap. 89. vbi cum multas leges attuliſſet contra Simoniā, addit, Papam hiſce legibus non teneri.

49 *Præceptum audiendi Miſſam, non eſt verbis intendere, ſed ſacriſicio adeſſe, etiam verbis non auditis vnde & ſimul præcepto Miſſæ ſatisfieri poteſt, & præcepto recitandi horas. Non eſt autem neceſſe horas perſoluere, quando priuatim recitantur, nudo capite, aut genu flexo.* Lib. 2. cap. 13.

50 *Præcepta Dei non obligant homines ad finem præceptorum qui eſt Charitas: ſed ſolum ad actum incluſum in præcepto. Verbi gratia, præceptum non occidere, obligat hominem vt non occidat, non tamen ne occidat ex charitate, vnde impletur præceptum extra charitatem.* Lib. 4. cap. 12. Mirum vero cum tota lex conſtet charitate, vt ait Paulus, Gal. 5. verſu 14. poſſe impleri legem ſine charitate! Cumque breuiarium legis ſit amor Dei & proximi, quis credat hominem ſine hoc amore poſſe legi obſequi?

51 *Aliqui volunt quod ſi quis audiret mediam Miſſam ab vno Sacerdote, & reſiduum ab aliquo alio, quod ſatisfaceret præcepto, nam Miſſam integram audiuit, : & mihi probabile videtur.* Lib. 6. cap. 7.

52 *Poteſt eſſe baptiſmus in dicinio, brodio carnium,*

vel piscium, quando non est notabilis mistio, lib. 5. cap. 18. ibidém tamen dicit non posse esse baptismum in niue. Tum miram formam baptismi docet, *potest* (inquit) *puerum in cistella positum chorda vsque ad aquam putei demittere.*

53 *Minister baptismi secundum communem Dei legem est homo cuiusque sexus, siue vir siue fœmina, siue hermaphroditus, cuisque ætatis, siue puer habens tamen vsum rationis, siue iuuenis siue senex: cuiusque status siue laicus, siue Ecclesiasticus: cuiuscunque conditionis siue seruus, siue liber; cuiusque vitæ siue Iudæus, siue Paganus*, & paulo post. *Licet infidelis non crederet se quidquam boni facere, & cum irrisione faceret, si tamen ad petitionem baptisandi baptisaret, intendens facere id quod facit Ecclesia Christiana, vel vt ille petit, vere baptisaret.* Lib. 2. cap. 20.

54 *Posset consecrare Sacerdos multos cophinos panis & vini dolium.* Lib 2. cap 25.

Hæc sunt scita sacræ societatis, hæc sacra opertanea: quorum quidem bonam partem etiam ab aliis quos idem fanaticus Zelus perculit credi & doceri sat scio: Sed hi pauci sunt præ aliis Pontificijs qui hæc damnant, & abominantur. Non vsque adeo malè agitur cum rebus humanis, vt tam nefaria pluribus placeant.

CAP.

Cap. V.

Papales tituli, & in Imperatores & Reges vsurpata potestas. Quantum Corona Anglicana debeat Euangelio.



EX Serenissimus iu sua præfatione Monitoria reprehendens Bellarminum sub Torti nomine Papæ patrocinantem, Sic affatur Imperatorem & Reges suos fratres. *Hoc verborum fundamento, Pasce oues meas, immane quàm amplum solutumq; Imperium Pontifici extruat: quo ad libidinem condonare atq; adimere regna possit: huic tamen seruituti, non alios quam Christianos Reges addicens. Nec dubito quin pro Imperij vestri Maiestate iniuriam tam Indigné authoritati vestræ illatam sitis grauiter laturi, præsertim cum illis omnibus e vestro numero qui Romanam amplectuntur religionem, hoc magis quam mihi prouidendum sit. Nam cum me hæreticis annumeret, cum Iuliano Apostata æquet, extra causam etiam gregemq; Pontificium esse putet necesse est. Eodem itaq; iure cum Ethnicis principibus censendus sum, in quos ipse nihil posse Pontificem fatetur. At vos de Pontificio grege estis: Vos magnus ille pastor instar ouium ad occisionem ducere pro libidine sua potest. Cum aselli auriculas vellet Leo pro cornibus accipi, eidem omnes sentire oportebat: & vos pura fortasse nitidaq; cute nihilominus vt scabie infectæ oues segregandi prorsus estis, si vos censura Pontificia tales esse iudicauerit: Sic nouum & egregium scilicet sensum his*

Christi verbis affinxit, pasce ouas meas, tanquam hoc significarent Tolle, proscribe, abdica Christianos principes atq; Reges. Illis quoq; Quodcunq; solueris quibus potestatem Pontifici datam esse contendit in omni Iuramentorum, votorumq;, mulctarum quoque & censurarum atq; legum genere dispensandi: Immo & soluendi naturale hoc vinculum quod subditos ad obtemperandum suis Principibus adstringit.

Respondet ad hæc Bellarminus, suo more, ciuiliter, & vt decet agere cum tanto Rege. *Hac omnia* (inquit) *mera calumnia sunt*, negatq; expositionem illam horum locorum tam inciuilē & inuerecundam a se esse allatam. Relegat ergo Cardinalis quæ scripsit lib. 5. de Romano Pontifice cap. 7. vbi ex verbis Christi, *Pasce oues*, hæc colligit. *Si ergo Princeps aliquis ex oue & ariete fiat lupus, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo ne eum sequatur, ac proinde priuare eum dominio in subditos. Neq; hic solum, sed & sæpe alibi eadem disputat*, præcipue vero cap. 3. lib. in Barklaium. *Atq; hac est ratio* (inquit) *cur & Gregorius VII. & Innocentius IV. in depositione Imperatorum, vt ostenderent iure se id facere, verba Domini alligauerint, Qodcunq; ligaueris super terram erit ligatū & in Cœlis: Mat. 16 & Pasce oues meas, Ioh. 21. Nimirū vt significarent potestatē suam disponendi de temporalibus.* Vt mirū sit qua frōte Cardinalis ausus sit Regi crimē calumniæ impingere, aut quomodo potuerit eorum quæ ipse tā frequēter & importunè inculcat obliuisci.

At Cuffetellus mollius rem gerit *Si inquit Papa vellet inuadere regna loco motis veris possessoribus, aut*

alios

alios pro suo arbitrio sufficere, dignus esset quẽ Principes vt raptorẽ hereditatum alienarũ incurrerent, & paulo post. Nihil sibi Papa arrogat in temporalibus, &c.

Hæc sane qui dicit, oportet in historijs & Paparun decretis plane sit peregrinus. Nam si quis vellet cõgerere omnia loca in quibus Pontifex fastuosis titulis intumescit, & Regum capitibus insultat, is quidem esset in re vulgari frustra sedulus. Pauca hæc sunt e multis. Gregorius VII. qui primus ausus est Imperatorẽ solio deturbare, in ferali illa abrogationis formula sic loquitur referente Platina. *Henricũ Regem Henrici quondã Imperatoris filium qui audacter nimiũ & temerarié in Ecclesiam tuam manus iniecit imperiali administratione regiaq́; deycio: & Christianos omnes imperio subiectos, iuramento illo absoluo, qui fidem veris Regibus præstare consueuerunt;* Hæc fulguritor. Quin & exutum regno, anathematis vinculo postea illigat ante stringens gladium materialẽ quàm spiritualem. Factũ hoc anno Christi 1076. nouo & inusitato exemplo. Imperium autẽ ad Rudolphum delatum est. qui acie victus ab Henrico & morti proximus pro tensa manu saucia sic familiares suos affatus est. *Videtis manũ dextram meã de vulnere sauciã, hac ego iuraui Domino Henrico vt non nocerẽ ei, nec insidiarer gloriæ eius. Sed iussio Apostolica Pontificũq́; petitio, me ad id deduxit, vt iuramenti trangressor, honorẽ mihi indebitũ vsurparem.* Atq; in hæc verba est mortuus. Testis Helmoldus Presbyter, Chronici Sclauorum cap. 29. author vt illo æuo optimus & Abbas Stadensis in Chrnico anni 1080. Idemque Helmoldus prolixe refert cap. 32. & 33.

quomodo auctore Papa Henrici filius Henricus in patrem insurrexerit, & acie fusum ceperit. At senex Imperator, (inquit Helmoldus) *mortuus est Leodij, stetitque corpus eius inhumatum in capella quadam quinq; annis. Tanta enim seueritate Dominus Papa & cæteri aduersarij eius in ipsum vsi sunt, vt mortuum vel humari non sinerent.* Lege Auentinum in historia Boiorum libro 5. Paulum Langium in Chronico Citizensi ad annum 1105. fasciculum rerum expetendarum fol.49. & 50. Vspergensem, & alios.

Longum esset memorare quæ Fredericus Benobarbus a Pontificibus pertulit. Coronatio eius sic est facta, referente eodem Helmoldo cap. 81. libri 1. Slauonicæ Historiæ. *Veniente Adriano Papa in castra Rex festinus occurrit, & descendenti de equo strepam tenuit, duxitque per manum eum in tentorium, facto autem silentio locutus est Dominus Bauenbergensis Episcopus.* Summa orationis erat petitio coronæ Imperialis per manus Papæ. *Ad hæc Dominus Papa respondit, verba sunt frater quæ loqueris: dicis Principem tuum condignam beato Petro exhibuisse reuerentiam. Sed beatus Petrus magis videtur inhonoratus: deniq; cùm dextram deberet tenere strepam, tenuit sinistram. Hæc cum per Interpretem Regi nunciata essent, humiliter ait. Dicite ei quia defectus hic non fuit deuotionis sed scientiæ. Non enim tenendis strepis magnopere studium dedi: enimuero ipse primus est cui tale obsequium dependi. Cui Dominus Papa, si quod facillimum fuit, propter ignorantiam neglexit, qualiter putatis expediet maxima? Tunc Rex aliquantisper motus, vellem melius instrui,*

Vide Naucler. Gener. 39. Barnũ de vitis Pontificij.

vnde

Vnde mos iste inoleuerit ex beneuolentia, an ex debito? &c. Diu itaque atque acriter disputatum est. Postremo discesserunt ab inuicem sine osculo pacis. Timentes ergo illi qui columnæ regni esse videbantur, ne forte rebus inactis frustra laborassent, multa persuasione euicerunt cor Regis, vt Dominum Papam reuocaret in castra. Quem redeuntem suscepit Rex integrato officio. Omnibus autem exhileratis & conuentioni adgaudentibus, dixit Dominus Papa, Adhuc superest quod facere debeat Princeps vester. Requirat beato Petro Appuliam quam Vuillemus Siculus per vim possidet. En benignitatem Episcopalem, en humilitatem Apostolicam. *Facile est barbato imponere Regi.*

Cuiusdem Friderici Imperatoris clarissimi ceruicem esse conculcatum Venetiis super gradibus Templi S. Marci, inspectante vniuerso populo additis his vocibus, *Super aspidem & basiliscum, &c.* testantur tam multi historici, vt mirum sit quenquam posse contraire. Hieronimus Bardi in victoria nauali. Nauclerus generatione 40. Iacobus Bergomensis in supplemento. Petrus Iustinianus lib. 2. rerum Venetarum. Alphonsus Ciacconus de vitis Pontificum in Alexandro 3. & innumeri alij. Quin & videri est historiam illam Venetiis pictam in Atrio Scrutinij & magni consilij; cuius tabulæ recensentur ab Hieronymo Bardi qui tractatum de his edidit.

Innocentius IV. Fredericum II. in Concilio Lugdunensi diris percussit & Principes Germaniæ ad rebellionem solicitauit, cumque ei negotium parum procederet, ipsum Soldanum Sarra-

 cenum

cenum conatus est in eum concitare, teste Alberto Abbate Stadensi in Chronico his verbis, *Etiam ad Soldanum Papa nuntios destinauit, eum intendens a familiaritate abstrahere & amicitia Frederici quondam Imperatoris.* Sed Soldanus religiosior, suasorem perfidiæ abominatus, cum Frederico pacem & concordiam coluit.

Huic successit Henricus VI. qui a nonnullis quintus dicitur. Venit is ad Papam Celestinum III. vtque erat coronatus Papæ pedibus aduolutus est. Ibi quid Celestinus egerit discimus ex Baronio, qui ad annum 1191. hæc citat ex Annalibus Rogerij. *Dominus Papa* (inquit) *statim percussit cum pede coronam Imperatoris & deiecit eam in terram, significans quod ipse potestatem eijciendi eum ab Imperio habet, si ille demeruerit.* O fatalem Christiano orbi principum illius æui vecordiam Sed alia videamus.

Liber primus Sacrarum Ceremoniarum Sectione 5. cap. 3. refert qua pompa Imperator Romam ingrediatur, qua humanitate a Papa excipiatur. *In plano* (inquit) *supra gradus basilicæ ante primam porticum ad dextam ascendentibus, erigitur Suggestus ornatus cum throno Pontificali & sedibus Cardinalium, Prælatorum, & Officialium. Supra quem suggestum Pontifex pluuiali & mitra preciosis indutus, ascendit cum ordinibus curiæ paulo ante quam Cæsar appareat. Electus Imperator cum suis omnibus seruato ordine, vt equum descendit, per gradus ascendit suggestum. Et vt primum Pontificem videt detecto capite illum genu tangens terram veneratur. Et iterum cum appropinquat ad gradus sedis genu flectit*

flectit, demum ad Pontificis pedes peruenit, illos in reuerentiam Saluatoris deuote osculatur. Pontifex hilari vultu Cæsarem aspiciens, ad osculum manus & oris recipit. Tum Cæsar iterum genu flexus auri massam ad pedes Pontificis offert, habetq; verba ad Pontificem gratias agens pro honore suscepto, &c. Hoc si vocari debet humilitas aut benignitas, non scio equidem quid sit superbia & tyrannis. Nam ne quidem maximus Regum Christianorum sic agit cum vilissimis mancipijs.

Neque hæc ciuiliora quæ in eodem libro leguntur capit c. 3. secundæ Sectionis eiusdem libri. *Cùm Papa per scalam quam superius diximus ascendit equum, maior Princeps qui præsens adest, etiam si Rex esset, aut Imperator, staphamequi papalis tenet, & deinde ducit equum per frænum aliquantulum. Si Imperator aut Rex soli essent, id est, non esset alius Rex, soli equum ducerent cum dextra manu. Sin vero esset alius Rex, dignior a dextra, alius a sinistra frænum tenerent.* & paulo post. *Si vero Pontifex non equo sed sella veheretur, quatuor maiores Principes, etiam si inter eos Imperator aut quiuis maximus princeps adesset in honorem Saluatoris Christi sellam ipsam cum Pontifice humeris suis portare aliquantulum debent.* Sequenti sectione Imperator aut Rex dat Papæ aquam manibus, idq; genu flexo: Primum ferculum infert mensæ: datur tamen hoc dignitati Imperiali quod culinam non ingreditur: Inter accumbendm, Reges post primum Cardinalem considunt. His omnibus substernitur regula quæ in hac fastuosa disciplina eodem loco habetur quo inter Philosophos prima principia.

Quod

Quod Pontifex Romanus nemini reuerentiam faciat lib. 13. Sectione 1. cap. 2. Atq; horum omnium haud dubie Christus auctor & Apostoli.

Ex hoc sublimi potentiæ culmine cuduntur fulmina in Reges & regna, quibus confossus Iohannes Rex Nauarræ regnum amisit, quod absente Iohanne inuasit Ferdinandus Rex Castilliæ, non alio iure quam quia sic Iulio II. Pontifici placuit, non enim deerant legitimi hæredes qui aduersus Papam arma non mouerant. Sic Alexander VI. quasi erciscundorum toto orbe regnorum a Deo datus arbiter, Lusitanis Indos Orientales, Hispanis Occidentales attribuit, frustra expostulante Atabalippa Rege Peruuianæ, & petente quid hominis esset iste Papa qui sic daret non sua. Nouissimè Pius V. Regnum Angliæ Elizabetæ ademptum Philippo Hispaniarum Regi dono dedit, nimirum eo modo quo dantur quæ tradi non possunt, & quæ jubentur vi eripi. Et Rex noster Henricus III. a Sixto V. diris impetitus, & Regno exutus, primo fidem subditorum, post etiam vitam amisit.

Genebrardus in Chronico ad annum 1569. Pius V. regnum Angliæ proscripsit, prædamque exposuit. Et anno 1572. Angliæ Regina excommunicatur & proscribitur a Pont a quo anno 1569. hæretica fuerat denuntiata, vt inde omni dominio & potestate in Catholicos excideret: Ipsique adeo in illam vt Ethnicam & publicanam se posse insurgere, nec illius mandatis & legibus deinceps teneri intelligerent.

Quid quod nullum est in Occidente regnum quod non Papa asserat esse feudum sedis suæ, nullus Rex quem non sibi vassallum & feudatarium asciscat, quasi qui ab ipso regnum feudi & beneficij loco acceperit. Habes huius vsurpationis titulos & instrumenta apud Steucum Bibliothecarium Papæ libro de donatione Constantini, in

quibus

quibus Reges Angliæ, Arragoniæ, Dalmatiæ, Daniæ, Poloniæ, Hungariæ, &c. agnoſcunt ſuum regnum eſſe feudum Eccleſiæ Romanæ, eoque nomine Papæ præſtant homagium vt vaſſalli & feudatarij: Addito inſuper tributo quod tenentur pendere: Enimuero a Gregorij VII. temporibus Pontifices in eo toti ſunt vt ipſi ſoli regnent, Reges vero & Imperatores ſint Reges titulo tenus.

Sed ad rem præſentem nihil tam eſt accommodatum quam hiſtoria Anglicana, in qua videmus Reges Angliæ, tam indigne & turpiter habitos vt ad extremam ſeruitutem nihil deſideretur. *Pag. 117.*

Matthæus Paris monachus Benedictinus, author ſumma fide & diligentia, memorat anno 1170. Henricum II. ſatisfacientem Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi, bis de equo deſilijſſe, bis frænum equi Archiepiſcopalis tenuiſſe. Quin & miſeri Regis tergum virgis conciſum, cædente monachorum mandra, quorum alij ternos, alij quinos ictus eius tergo inflixerint. Neq; ſic Papæ ſatisfactum; nam inſuper iuſſit Regem mittere in Palæſtinam manum ducentorum militum, & deinceps pati vt Angli qui in Anglia cauſa cecidiſſent, poſſent Romam prouocare. Quam Regis patientiam Machiauellus libro primo Hiſtoriæ Florentinæ ſic miratur vt magis irrideat. *Et his quidem* (inquit) *Henricus aſſenſus eſt, ſubiecitq́ ſe Rex tantus iſti iudicio, cuius hodie puderet quem libet*

Le quali coſe furono da Henrico accettate, & ſottomoſſeſi, a quel giudicio vn tanto Re, che noggi in huomo priuato, ſi vergognareble a ſoltometterſi-tanto le coſe che payomo ſono piu da diſcoſto che d'appreſſo temute.

pore

priuatum. Quin & addit id factum illo ipso tempore quo Romani Papam infestabant & male multatum non sæpe vrbe excedere compulerant. *Vsq; adeo* (inquit ille) *remota creduntur in maius, & quæ admota contemnuntur remota metuuntur.*

Huic Henrico successit Ricardus, quem idem Papa iussit in Syriam nauigare, quo mortuo frater Iohannes regnum capessit. Hic Iohannes conquerebatur Romanis artibus emungi Anglos argento, & plus pecuniæ ex Anglia sola quam ex vlla cis Alpes prouincia colligi. Huic, quia libertatibus Ecclesiæ (sic vocant vsurpationes Papales) dicebatur aduersus, Innocentius III. regnum abrogat, translato regno ad Philippum Augustum Galliæ Regem. Verba Matthei Paris hæc sunt. *Papa ex consilio Cardinalium, Episcoporum & aliorum virorum prudentium sententialiter definiuit vt Rex Anglorum a solio deponeretur. Ad huius quoq; sententiæ executionem scripsit Dominus Papa potentissimo Regi Francorum Philippo quatenus in remissionem suorum peccaminum hunc laborem assumeret.* Quo metu & domesticis motibus Iohannes adactus est ad conditiones accipiendas quas Pandulphus Innocentij Legatus voluit. Conditiones fuerunt vt Iohannes ad obtinendam remissionem peccatorum, coronam suam traderet Legato in manus, & sua regna Angliæ & Hiberniæ Papæ dederet, & subiecta esse pateretur, & tanquam de feudis Ecclesiæ Romanæ, homagium Papæ exhiberet, mille marcas argenti annuas penderet Pontifici, saluis insuper denarijs beati Petri qui quotannis pendebantur in capita. Paruit Rex inuitus

Matth. Paris pag. 215. & 223.

uitus, quin & ipſe pactam pecuniam ad Legati pedes depoſuit, qui eam pedibus conculcauit, quaſi rem indignam, ſimul innuens regem & regnum, Papæ pedibus eſſe ſuppoſitum.

At Rex tam graue iugum iniquo animo tolerabat: Quin & proceres Regni proditam ab eo regni dignitatem, & fœde mancipatam indignabantur, & res nouas non obſcure affectabant. Nec minus interea Romani æruſcatores ſub religionis obtentu, Angliam exhauriebant. Deniq; Rex ad extremas redactus incitas, mitius ſecum actum iri credidit ſi ſe & ſua Mahumetanis traderet. Miſit ergo Legatos in Mauritaniam ad Amiralium Murmelinum Mauritaniæ & Bæticæ Regem, ſe ſuaſq; fortunas omnes Regi Mahumetano oblaturos, dum eius ope a Papæ tyrannide liberaretur. Renuit Rex barbarus, & Legatos re infecta dimiſit. Vnde aucta regni ſeruitus, & durius actum cum miſero Rege: Nam & repetitum eſt ſeruitutis iureiurandum, & diplomate firmatum, quod non cera vt ante, ſed auro ſignatum eſt, & pro mille marcis duodecim millia extorta. Ex eo Anglia facta eſt pars dominij papalis & patrimonium Petri. Philippoq; interdictum ne in Angliam exercitum tranſmitteret. *Formam diplomatis habes apud Matthæū Paris anno 1214. pag. 234.*

Huic Iohanni ex ægritudine animi mortuo ſucceſſit filius Henricus III. qui ſine cunctatione jurauit in verba Pontificis, & homagium de ſuis regnis exhibuit, & tributum exoluit, monente inſuper capitatione annua denariorum Petri. Ad eum Innocentius IV. Papa Othonem Cardinalem allegat; cui Rex factus obuiam ad genua vſq;

Legati caput submisit, Ac sibi quidem Regis nomen seruauit, vim vero & potestatem omnem Legato concessit. Vsque adeo vt in conuiuio sedem regiam superbissima bellua occuparet, rege in inferiorem locum reiecto. Verba Matthæi Paris hæc sunt. *Rex in ampliori regia Westmonasterij* Pag. 530. *pransurus Legatum quem inuitauerat in eminentiori loco mensæ scilicet in regali sede, quæ in medio mensæ erat non sine multorum obliquantibus oculis collocauit.* Iamq; ornabat Legatus profectionem suam in Scotiam, plenus spei, & expectans paria Scotorum obsequia, sed ingressu in Scotiam prohibitus est a Rege dicente, *se non meminisse Legatum in terra sua vidisse, neq; opus esse.* Interea Romanæ harpiæ religionem miro modo cauponabantur, & mille rei faciendæ artes comminiscebantur, frustra gemente populo, & medullas ipsas sibi exugi conquerente. Vsque adeo vt idem author in historia anni 1241. loquens de reditu Othonis, dicat eum plus extulisse argenti ex Anglia quam reliquisse, quæ instar vitis ab apris depastæ & conculcatæ, in pace grauiora quam in bella patiebatur. Neq; vero id obscurè fert Bellarminus, aut vsurpatam in Anglia dominationem dissimulat, In libro enim cui Torti nomen præfixit, hæc ait, Pag. 19. *Rex Anglorum duplici iure subiectus Papæ, vno communi omnibus Christianis ratione Apostolicæ potestatis quæ in omnibus extenditur, iuxta illud Psalmo 44. Constitues eos Principes super omnem terram, altero proprio, ratione recti Dominij* &c. Et nouissime in Apologia sua aduersus Regem cap. 3. *Constat ab Hadriano* IV. *Pontifice datam fuisse Hyberniam insulam*

insulam Henrico II. *Regi anno* 1156. *sub conditionibus multis quas Reges Angliæ minimè seruarunt.* Nempe tunc Papa dat regna, quando alicui author est inuolandi alienam possessionem. At tot bella Anglis depugnata in Hibernia, satis arguunt Anglos debere hanc insulam suæ virtuti, non cuiusquam largitioni. Neque video quæ hæc sit liberalitas iubere aliquem per vim rapere aliena: maxime vero quando potens est possessor & qui se possit armis tueri. Sic quando Pius V. dedit Philippo Hispano regnum Angliæ, poterat Philippus par pari referre, salutando Papam Archiepiscopum Armeniæ, aut dignitatem Muphti, summi inter Turcas præsulis, ei conferendo.

Hæc quidem erat facies Angliæ, tunc cum nox atra errorum Latinis Ecclesijs incumberet: neque esset qui contra hiscere auderet. In qua seruitute illud erat sæuissimum, & maxime miserabile, quod simulac aliquo regio Papali interdicto fuerat subiecta, aut Rex Regisque fautores anathemate percussi, templorum valuæ occludebantur, sacra omnia cessabant, campanis ipsis indictum silentium, passim proiecta cadauera sine honore sacræ sepulturæ, quia profanam gentem sepelire erat religio sacerdotibus. Plurimum ergo debet Anglia prædicationi Euangelij, quæ vna cum veritate attulit libertatem, & vna cum errore abstulit seruitutem. Possunt vtique Reges Angliæ vsurpare illud Christi, Iohannis cap. 8. *Cognoscetis veritatem & veritas vos in libertatem vindicabit.* Satan enim dum tundit hanc incudem, & Papalis Imperij fundamenta ponit, eiusq; incrementa

Toletus de instructione Sacerdotum lib. 1. cap. 53.

incrementa sollicitat, offudit populis densas tenebras ignorantiæ, ne peruiderent sua consilia, & sacræ scripturæ lucernam sub modio linguæ peregrinæ occultauit.

Interea nemo non videt quantum in Occidentali plaga immutata sit facies Ecclesiæ. Nam quæ maior immutatio quam vertere Ecclesiam in Monarchiam, & Regnum Christi spirituale in dominationem temporalem? Est enim erectum nouũ Imperiũ Rom. quod sub titulo religionis, veteris Romani Imperij æmuletur splendorem, & formam imitetur: qua de re posthac plenius.

Neq; vero Papa segnior est verbis quam factis, nec minus loquitur grandia quã facit atrocia. Distinctione 22. Canone Omnes, Nicolaus Papa sic loquitur: *Christus beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul & cælestis Imperij iura commisit.* Si huic creditur, Petrus erat Imperator in terris. Inde & sequitur Romanos Imperatores antequam Petrus esset Romanus Episcopus nullum habuisse superiorem in terris, postquam autem Petrus cœpit esse caput Ecclesiæ, cœpit Imperator (si Papæ creditur) habere in temporalibus superiorem. Mirum vero quod Christus dederit Petro ius Imperij terreni, vires vero hanc potestatem exercendi non dederit: Imperium enim sine viribus res est titulo tenus. Mirum quoque quod saltem Neroni non fuerit ab Apostolis aut ab Ecclesia significatum, Petrum datum ei esse a Deo superiorem in temporalibus, cui obsequi teneretur, ne ignorantiæ excusationem posset prætexere. Nam Nero non obsequens Petro, non potest

test, dici peccauisse, quia datum esse hoc ius in Imperium Petro ignorauit, immo ne de nomine quidem Petrum cognouit. Nec minus mirum est quod veterum nemo, saltem inter amicos, conquestus est Episcopos Romanos fraudari suo iure, nec eis permitti Imperatores deponere, aut exauctorare, aut Imperium transferre.

In Clementina pastoralis Clemens V. sic buccas inflat. *Nos tam ex superioritate quam ad Imperium non dubium est nos habere, quàm ex potestate in quam vacante Imperio Imperatori succedimus,* &c. Ibidemq; Siciliæ Regem vocat *suum subditum, hominem ligium & vassallum.* Et cap. fundamenta de electione in 6. *Constantinus in ipsa vrbe vtriusq; potestatis Monarchiam Romanis Pontificibus declarauit.* En Papas duplici nomine Monarchas. Cui decretali, nescio qua fronte ausi sint doctores canonici glossam hanc apponere : *Roma fundata a Prædonibus adhuc de primordijs retinet, dicta Roma quasi rodens manus.* Quin & additur hic versus, *Roma manus rodit quos rodere non valet odit.* Vsque adeo ipsis Romanis canonistis visa est intolerabilis huius decretalis arrogantia, vt voluerint eam hac glossa quasi obelo confodere. *De sent. & re iudicata.*

Capite Venerabilem de electione Innocentius III. sic loquitur: *Sedes Apostolica Romanum Imperium, in persona magnifici Caroli, a Græcis transtulit in Germanos,* & paulo post *Ius & auctoritas examinandi personam electam in Regem & promouendam ad Imperium ad nos spectat.*

Sic Pius V. in ferali illa bulla quam in Elizabetam Reginam μακαρίτην detonuit, ait se *Solum à*

Deo constitutum principem in omnia Regna; vt euellat, destruat, perdat, dissipet, & plantet. Satis quidem pro Imperio; At cum relego epistolas Petri Apostoli cuius hic se successorem venditat, nihil tale inuenio, neq; enim iactat suos titulos, neque contorquet fulmina, nec Reges de solio præcipitat, sed meram humilitatem spirans, totus est in cohortationibus ad fidem, ad patientiam, moresq; compositos.

Concilium Lateranense sub Leone X. Papam nunc caput totius orbis Principem, Sess. 1. & *Sacerdotem ac Regem*, sess. 3. & *Imperium sanctitatis vestræ.* Tum *Regale pontificum Romanorum genus.* Vnde & mitra triplex qua redimitur vulgo vocatur REGNVM, neq; aliter appellatur toto libro sacrarum Ceremoniarum.

Circunferuntur Theses excusæ Neapoli, Papæ nunc regnanti inscriptæ cum hoc Elogio, *Paulo V. vicedeo, Reipublicæ Christianæ Monarchæ, Pontificiæ omnipotentiæ assertori inuictissimo.* Ibidem habes instar Pontificis, cui circumpictæ sunt coronæ imperiales, & Regales, Ducisque Veneti pileus corniculatus: Immo & Turcici Imperatoris apex turbinatus, quasi loquente pictura, hæc omnia pendere de Papæ nutu & subesse eius jurisdictioni.

Cui volet plura alia exempla videre, consimilis modestiæ, legat caput tertium Concilij Lateranensis sub Innocentio III. vbi Principum sibi Immorigerorum ditiones iubet ab alijs Principibus Catholicis vsurpari. Et caput ad Apostolicæ. De sententia & re iudicata, vbi Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi Fridericum II. fulmine

amburit,

amburit, Imperio exuit, ſubditos Sacramento fidelitatis abſoluit, verbis tumidis, & ſtilo virulento. Et Caput *ſolitæ benignitatis* Tit. 33. vbi cum Innocentius III. Papam Soli, Imperatorem Lunæ comparaſſet, gloſſa ſic rem explicat. *Igitur cum terra ſit ſepties maior luna, Sol autem octies eſt maior terra, reſtat ergo vt Pontificalis dignitas quadragies ſepties ſit maior Regali dignitate.* Inficetus Gloſſator rationem magnitudinum nihilo plus calluit quam ſenſum ſcripturæ: Sed hæc in libro tantæ authoritatis, & qui decreta Eccleſiæ Romanæ continet legi & ferri ſane mirandum eſt.

Ex his omnibus puto ſatis ſuperq; conſtare quæ ſit mens Paparum, & quantum ſibi iuris & poteſtatis arrogent, ne quis apud rerum imperitos producat Papam loquentem ficta modeſtia. Quod ſane facit Cuffetellus, aſſerens Papam nihil ſibi iuris tribuere in temporalia: Qui dum Papa inuitos vult docere humilitatem, apud ſuos fidem non inuenit, & ſibi apud ipſum Papam & Ieſuitas multam conflauit inuidiam. Dum enim hæc ſcribit in Gallia, ab ipſa vrbe ἐπαλλήλως Bellarminus conſcio Papa, ideoq; probante, edidit aduerſus Barklaium librum exitialem Regibus, qui totus in eo eſt vt probet Papam poſſe Regna dare, adimere, transferre, & Reges non aliter accipere, quam opilio arietem furioſum aut cornupetam. Idemq; poſſe Papam in Reges malos quod Sacerdos Ioiada in Athaliam Reginam, quam idem Pontifex non modo regno, ſed & vita priuauit. Nam (inquit) cap. 27. *Cum Papa iudicat Regem, vel etiam deponit, nihil agit contra ius diuinum, quo-*

niam superior inferiorem iudicat, Pastor ouem, Pater filium, Præpositus subditum. Addit paulo post, *Securus affirmo potuisse Dominum nostrum Iesum Christum tempore mortalitatis suæ disponere & temporalibus omnibus, & Reges ac Principes Regnis Dominijsq; priuare: & hanc potestatem sine dubio Vicario suo concessisse.* Notabit Lector, Nam non est dubium quin Christus in terris agens potuerit Reges omnes deijcere solio, sed & necare: In hanc potestatem si Papa successit, certum est omnium Regum fortunas, Immo & vitam esse in manu Pontificis. Hic tamen vnum est discrimen quod Christus potestate quam habuit vti noluit, ne quidem cum inter duos super diuidunda heritate electus esset arbiter: At Papa vult vti potestate quam non habet: Nam si Papa est Christi Vicarius, certum est non esse ei datam omnem potestatem quam Christus habuit, sed eam quam exercuit & Apostolis disertè tradidit.

Tam sceleratæ doctrinæ substernit fundamentum impium, cap. 21. *Dispensat* (inquit) *Pontifex in votis & iuramentis quæ Deus ipse iussit reddi, & quorum solutio est de iure diuino*, vt non mirum sit si Papa liberat populos ab obedientia Regibus debita, quam Bellarminus ait esse de jure humano, cum etiam gratiam faciat iuris diuini, & (vt loquuntur) dispenset a Dei obsequio.

Quid quod ipsos infideles & eorum Regna Papæ subijcit. *Supra*, inquit, *docuimus cum S. Thoma posse a summo Pontifice priuari quoscunque infideles dominio quod habent super fideles.* Cum ergo Turca inuaserit dominationem in Ecclesias Syras,

ras, Græcas, & Ægyptiacas, poteſt a Papa, aut toto hoc Imperio, aut Imperij parte multari. Cur ergo in re tam ſalutari Papa non vtitur ſua poteſtate? an erga Imperatorem non peſſimum tangitur miſericordia, & vtitur clementia? An & bene ſperat de eius reſipiſcentia? An potius fidem Turcæ datam religioſè ſeruat: quia Turca non eſt hæreticus, ſed tantum infidelis, & huic quidem fides ſeruanda eſt, illi vero non item?

Sed nihil eſt tam indignè ab eo dictum, neque in Principes tam ſæuum, quam quod dicit cap. 31. vbi loquens de ſententia qua Papa Regem aliquem iniuſtè depoſuerit, (nam & hoc poſſe fieri fatetur) ſic ait. *Quod autem dicis iniuſtam ſententiam non lædere eum in quem fertur, verum eſt quando is in quem fertur eam humiliter tolerat & obſeruat, donec iniuſtitia vel potius nullitas eius manifeſte ſe prodat.* Et cap. 17. *Si forte Princeps ſpiritualis (id eſt Papa) abutatur poteſtate ſua iniuſtè excommunicando Principem temporalem, vel eius ſubditos ſine iuſta cauſa ab obedientia eius abſoluendo, & eo modo perturbet ſtatum Reipublicæ temporalis, peccabit Princeps ſpiritualis, ſed non poterit tamen Princeps iudicium ſibi ſumere de ſpiritualibus rebus, aut ſpiritualem Principem iudicare.* Nempe vult Principem abdicatum iniuſte a Pontifice, parere iniuſtæ ſententiæ, nec contra hiſcere, nedum acta eius reſcindere: Proh Dei atque hominum fidem, eo ne homines deueniſſe ſtuporis & vecordiæ vt ferant, immo & laudent homines qui volunt Reges vnctos Domini, & ſummos in terris Miniſtros accipi vt viliſſima pecora, & iniuſtè damnatis nequidem fieri con-

querendi copiam, aut contradicendi, aut reſcindendi acta iſtius Principis ſpiritualis iniuſtè attrectantis ſpiritualia? Cedant loco Principes, renuntient vltro regno, quanquam iniuſtè damnati a Papa, ad cuius nutum debent regnare Principes: non quidem vt vox *nutus* (ait Bellarm. cap. 19.) ſignificet aſſenſum, ſed eo ſenſu quo poeta ait de Ioue

Annuit & nutu totum tremefecit olympum.

Cap. VI.

Nouem temperamenta quæ affert Bellarminus, ad molliendam huius doctrinæ aſperitatem.



Vidit Bellarminus huic doctrinæ parata multorum odia, & Principum offenſionem. Idcirco quibuſdam diſtinctionibus conatur mitigare rei aſperitatem, & præfractam illam Papæ in Reges dominationem ex abrupto in planum deducere. Diſtinctiones iſtæ ſeu temperamenta, numero ſunt nouem: quæ quia paſſim infercit, & nullibi non ingerit, libet hic ponere omnia ſub aſpectum, & ſingula ſeorſim, expendere.

I. Prima & ſexcenties ab eo repetita diſtinctio hæc eſt. Papam non habere dominationem directam in temporalia, & in regna, ſed tantum indirectam: Atq; ea in re non dubitat opponere ſe Canoniſtis, & multis huius æui ſcriptoribus, vt Peſantio, Boſijs &c. qui Papā volunt directum eſſe Dominum totius orbis & omnium temporalium.

At

At profecto sub specie agendi cum regibus clementius, eis manifeste illudit: quandoquidem potestas illa indirecta tantundem habet virium ad deturbandos reges, & transferenda sceptra quam si directa vocaretur. Habebunt ergo Reges (si Deo placet) quo gaudeant, & se abunde solentur. Nam si diris papalibus fuerint pulsi Regno, id non fiet directe, sed tantum indirectè. Ita si sontem ad capitis pœnam in publicum productum astans sacrificulus ita compellet; sis bono animo mi homo, non enim decollaberis ense, sed tantum acinace, mitigauerit proculdubio sontis dolorem non mediocri solatio. At Regi exuto & pulso difficile est satisfacere distinctiunculâ. Perinde enim est ei quanam ratione spolietur imperio, quandoquidem seu directa potestate id fiat seu indirecta, semper regnum amittit. Neque vero existimo rem quæ fit iniustè via directa posse fieri iuste via indirecta. Nec si tu non debes mea rapere directe credibile est te iure id facere indirectè. Nec si quis obtorto collo trahatur in carcerem, melius cum eo agitur si obliqua via trahatur quam si recta. Nec si brachio solo trahatur quam si impellatur toto corpore. Quid quod Cardinalis indirectam istam Papæ in regna potestatem fulcit argumentis quibus conficitur esse omnino directam? Sic cum asserit Papam a Christo accepisse eam potestatem in Reges & regna quam Christus habuit cùm esset in terris, nonne (si hæc ratio valet) oportet Papæ potestatem in regna esse directam, quippe cum Christus iam tunc fuerit & sit directus Dominus omnium

nium regnorum? Quid autem sibi vult simile illud de pastore abigente aut segregante arietem vitiosum? Sane si Papa habet in reges eandem potestatem quam Pastor in arietem, oportet sit directa Papæ potestas, talis enim est potestas opilionis in arietem.

2 Huic temperamento affine est alterum, eoq; pariter fraudulentum, cum dicit Papam habere potestatem in temporalia, quatenus attingunt spiritualia, & ad spiritualia ordinantur. Sed per id nihil minuitur de absoluta Papæ potestate in omnia temporalia. Immo nihil est in ciuili societate tam sordidum, aut tam alienum a cognitione Ecclesiastica, quod non per hanc distinctionem Papæ subijciatur: nihil enim est temporale quod non aliquo modo pertineat ad spiritualia. Est enim Christiani officium, & pars pietatis, agere bona fide & conscientia in pactis & conuentis, in emendo, vendendo, contrahendo, possidendo, regendo Rempublicam aut familiam. In his omnibus opus est bona conscientia; quod certe spirituale est. Si ergo in his omnibus Papa est Iudex, nihil erit quod non sit Pontificiæ cognitionis, & sub obtentu irrogandi pœnas ob peccata, poterit Papa res alienas interuertere, pecunias, fundos, domos ad se trahere. Et hoc facto causari se attrectare temporalia respectu ad spiritualia, potestate non recta, sed indirecta. Sic Papæ erit recidere pretia mercimonijs, hoc enim pertinet ad iustitiam. Figere leges sumptuarias, id enim est temperantiæ: & datis arbitris lites componere, hoc enim pertinet ad charitatem, semperq; in omnibus

bus malefactis peccatur aduersus aliquam virtutem Christianam, quæ sane est res spiritualis, & pertinet ad conscientiam. Enimuero Pontifex voce ista spiritualitatis ad se trahit temporalia: & sub titulo spiritualis potestatis vsurpat temporalem. Atque ideo vocis istius facta est latior significatio, vt quasi sagena latior plura conuerrat. Nam felici hoc sæculo spiritualia dicuntur non tantum Dei dona cælestia aut virtutes Christianæ, sed & fundi & prouentus Ecclesiastici. Hoc pacto temporalibus accreuit dignitas dum fiunt spiritualia. Nec deerunt Papæ artes per quas quæcunque sunt sub sua ditione temporalia fiant spiritualia. Sed ne his immorer, dico ego Bellarminum hac sua distinctione eo prolabi quod vitat cum maximè; & Papæ adimere omnem potestatem Reges deponendi: nam si Papa non habet potestatem in temporalia, nisi quatenus attingunt spiritualia, clarum est Papam non posse Dominos temporales punire alijs pœnis quam spiritualibus. Qualis enim est cuiusque potestas, tales pœnæ quas irrogat.

III Iam audi aliam distinctionem quæ mihi non videtur ad fidem, sed ad risum comparata. Capite 12. libri in Barklaium, & sæpe alibi hæc dicit. *Quando proprie loquimur, dicimus Pontificem habere potestatem in temporalibus, non autem habere potestatem temporalem qua Pontifex est.* Tum illud, *Iure diuino potestas in Reges non proprie temporalis, sed quasi extendat ad tēporalia, Pontifici Christi Vicario attributa est.* Dignam sane laude modestiam, & egregium temperamentum quod sic minuit.

minuit Papæ poteſtatem vt magis augeat. Idem enim de Deo dici poteſt; Eſt enim Dei poteſtas non temporalis, ſed tamen habet poteſtatem in temporalia. Durum vero poſt res regibus ereptas, eos vocare ad litigandum de vocibus, & reges fraudibus circumuentos diſtinere Grammaticalibus diſtinctionibus, non vt recuperent amiſſa, ſed vt ſciant quem titulum debeant inſcribere ſuæ calamitati, an ſcilicet id fecerit Papa poteſtate ſua temporali, an poteſtate in temporalia, an directa, an vero indirecta. Mihi profecto ſi vlla ſupereſt gutta ſenſus communis hæc videntur ad ludibrium dicta, & maiorem contumeliam. Nam Cardinalis fatetur Reges habere ſummam poteſtatē temporalem, quam tamen eis mox adimit, dum facit Papam habere ſummam poteſtatem in temporalia. Vtique nemo dixerit Regi eſſe ſummam poteſtatem in temporalibus, qui poteſt alterius iudicio temporalibus exui. Quemadmodum igitur dicere Alexandrum eſſe hominem, ſed non eſſe animal rationale; implicat contradictionem: Ita dicere aliquem eſſe ſummum Principem temporalem, ſed ſubeſſe alteri in temporalibus, plane eſt ἀσύστατον, & ſecum pugnans. Non enim alia de cauſa aliquis dicitur eſſe ſummus Dominus temporalis, quam quia ſummé dominatur in temporalia. Quid quod ipſi Pontifices non modo agnoſcunt Reges non habere Dominum aut Principem temporalem ſe ſuperiorem, ſed & eos non habere ſuperiorem in temporalibus? Capite *Per venerabilem*, *qui filij ſint legitimi*, vbi Papa dicit, *Regem non habere ſuperiorem*

rem in temporalibus, & ibidem diserte dicitur Regem Francorum nullum in temporalibus superiorem agnoscere. Debuerat Innocentius dicere Regem Francorum nullum agnoscere superiorem Principem temporalem, non vero nullum superiorem in temporalibus. Sed nullus erat tunc Bellarminus, nullus Iesuita, qui bifurcatis distinctiunculis oculos configeret.

IV Eiusdem farinæ est distinctio quam Bellarminus affert cap. 31. in Barklaium vbi populum responsantem Papæ & negantem esse penes Papam eximere populum a Regis obedientia, Papa sic increpat. *Iam indocilē omnino te præbes cum ad eadem semper reuolueris : Non ego tibi gratiam facio præcepti naturalis vel diuini cum ab obedientia vinculo te absoluo, non enim permitto vt Regi non pareas quod esset contra ius diuinum : Sed facio vt ille qui tibi rex erat non sit tibi deinceps Rex.* Magnam vero Papæ benignitatem, si ad perdendos Reges non ἀθρόως, & vno impetu sed per gradus accingitur, exauctorando prius regem, deinde populum absoluendo ab obedientia, iureiurando, promissa. Sed Bellarminus petit τὸ ἐν ἀρχῇ assumens vt concessum id quod præcipue controuertitur, Papam nimirū posse facere vt qui est hodie rex, cras non sit. Nam quomodo potuit Henrico auferre regnum quod ei non dederat? Eripiat Papa quæ ipse dedit, at quæ sunt diuini muneris accedente insuper consensu & Sacramento populorum attentari & violari a Papa sine flagitio non possunt. Nam vbi aut quando Deus hanc potestatem Papæ concessit? vbi est vel minimus apex hac de re

in

in Scriptura? Quid simile vnquam factum ab Apostolis aut eorum discipulis, maximé cum deterrima monstra & belluæ magis quam homines tenerent tunc temporis gubernacula generis humani? Neque vero mirum si Papa faciat regem non esse regem, cum etiam faciat coniugem quamuis fidam & non adulteram, non esse coniugem, separans legittima coniugia Deo auctore & teste contracta, contra Christi mandatum vetantis, ne quod Deus iunxit homo separet. Pari audacia facit filium non censeri filium, immo & peccatum non esse peccatum, vt dicit idem Bellarminus cap. 31. *In bono* (inquit) *sensu dedit Christus Petro potestatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum.*

Mat. 19. vers. 6.

V Idem Bellarminus ne Papa soluens vincula fidelitatis Iureiurando sancitæ, videatur pugnare cum iure diuino, subinde hanc distinctionem affert. *Non ignorabam* (inquit) *seruire, & obedire regi, esse iuris diuini, sed dixi esse iuris humani habere hunc aut illum Regem.* Hanc distinctionem quisquis sedulo perpendet, facile animaduertet Bellarminum, fateri quidem in genere obsequium erga Regem esse iuris diuini, sed id mox negare in singulis: vt si faterer hominem quidem esse rationalem quod ad speciem, mox tamen id negarem de singulis indiuiduis. Enimuero si hæc distinctio admittitur nunquam obedientia erga Regem erit de iure diuino, quia subditi nunquam iurant in verba Regis in genere, sed Henrici aut Ludouici. Quod si obsequi Regi est de iure diuino, ergo & obsequi Henrico aut Ludouico quia hi sunt Re-

ges

ges. Nam pari ratione dicere fidem quidem seruare esse iuris diuini, at non seruare Titio aut Mænio. Hic color adibitus viam sternit ad omnem perfidiam, non enim ineuntur pacta cum genere aut Idea, sed cum singulis hominibus. Quod si quis Bellarminum afficeret contumelia, non opinor admitteret se excusantem isto modo, & causantem, Deum quidem vetuisse noceri proximo, at non Roberto Bellarmino. Quod si cui probatur tam putidum effugium, cur non idem liceat dicere de pontifice? fac enim sit Apostolus, fac Petri successor, dicam tamen Christum quidem iussisse nos dicto audientes esse Pastoribus, at non Clementi aut Bonifacio: quos vt habeamus Pontifices iuris est humani, non diuini. An putamus Deo putidis distinctionibus posse fucum fieri? aut pellucente hac nebula eius oculis offusâ, posse tegi subditorum ergo Reges perfidiam? Nouit enim Deus populum Sacramento esse obstrictum, non regi indefinité, sed huic Regi: quo superstite non potes sine flagitio in eum rebellare. Faciat ergo Papa ne hic Rex sit hic homo, tunc demum fatebimur posse Papam soluere vinculum obedientiæ promissæ non tantum huic Regi, sed & huic homini. Sublato vero Henrico aut Ludouico quo modo fides debita Regi in genere manebit illibata, cum nullus alius sit Rex in Gallia? Cum enim Gallia non possit esse sine rege, & ipsa mors regis defuncti proximum sanguine, illo ipso momemto vestiat Imperio, dicat mihi Cardinalis quis post exauctoratum a Sixto V. Henricum III. esset Rex

in

in Gallia, aut quem in eius locum suffecerit, Nam adimere Galliæ suum Regem, nec alium sufficere certissima est rerum euersio. Tunc ergo scire vellem cui regi obsequi, vel iure humano, vel diuino Galli tenebantur.

In his omnibus tanta est veritatis ἐνάργεια, vt Bellarminus secum ipse diffidens, postquam concessit obsequium erga Reges esse iuris diuini, id mox neget. Probat enim Thomæ sententiam, sic loquens cap. 21. in Barklaium. *Quare idem sanctus Thomas loco citato 2. 2. q. 10. art. 10. & q. 12. art. 2. tanquam rem certam & exploratam ponit dominia & Principatus politicos non esse de iure diuino: sed de iure humano, cui nemo doctus contradicit.* Atque in hac tota quæstione ita cessim pugnat & timidé, ita parum se explicat, vt aut sibi ipse non credere, aut sensus suos vltro inuoluere videatur. Inde est quod declinans quæstionem, & astute flexo sermone, dicit esse iuris humani vt hunc aut illum Regem habeamus: quod sane est extra rem: Nam quæstio non est de habendo rege, sed de obsequendo regi cum habeas.

VI Hoc quoque est inter temperamenta quibus Bellarminus Papæ potestatem mollire conatur. *Potest (inquit) Pontifex alteri regnum conferre, non pro arbitrio tamen cui libuerit: sic enim veré precario reges regnarent, sed cui iure debetur, siue successio, siue electio locum habeat. Et si forte nemini debeatur, cui ratio dictauerit esse tribuendum*: libri in Barklaium cap. 12. Hoc quidem tu contra historiarum fidem, & noua experimenta, opinor etiam contra tuam ipsius mentem. Nonne Bonifacius

nifacius VIII. conatus est regnum Galliæ Philippo pulchro ademptum ad Germanū Imperatorem transferre, cum tamen Philippus haberet filios & agnatos complures? Super hac re habeo diserta verba Pauli Æmilij lib. 8. *Iam Bonifacius Pulchrum hostem iudicarat, Franciæ Sacris interdixerat, Francorum regnum velut solio vacuo iuri ditioniq; Imperij Augustorum attribuere adiudicareq; ac addicere se effatur.* Idemque auctor eodem libro dicit Martinum Papam attribuisse Carolo Valesij Comiti regnum Tarraconense, quod tamen satis constat nullo iure ad eum pertinuisse. Quid memorem Carolum Andegauensem quē Clemens quartus ex Gallia exciuit ad inuadendum regnum Neapolis atque Siciliæ? An habuit Papa rationem proximitatis? aut quonam iure potuit Carolo regnum Neapolitanum deberi? Sic Innocentius III. regnum Angliæ ereptum Iohanni dedit Philippo Augusto Regi Francorum, cum tamen haberet Iohannes Henricum filium admodum puerum, paternorum criminum (si tamen erant crimina) plane insontem. Sic Iulius II. regnum Nauarræ Iohanni ereptum transtulit non ad filios aut agnatos qui erant multi: sed ad Regem Castilliæ nullo consanguinitatis vinculo Iohanni deuinctum. Idem fecit Pius V. Elizabethæ Reginæ Angliæ, cuius regnum dedit Philippo Hispaniæ regi, nulla habita ratione legitimorum successorum. Quid? cùm Papa Regnum aut Remp. subijcit interdicto, & obijcit primo cuique rapienti, an transfert regnum ad eum qui iure electionis per comitia, aut sanguinis proxi-

proximitate ad regnum vocatum? Perrara sunt exempla translationis regni a patre in filium aut in proximum sanguine, nisi cum Papæ geminato scelere & violatione ipsius naturæ, filium in patrem concitauit, vt factum esse ab Henrico V. quem Papa in patris perniciem instigauit, supra memorauimus. Transfert ergo Pontifex regna pro arbitrio, non habita ratione eius cui vel ex consanguinitate, vel per electionem regnum debeatur; Neque id negat Bellarminus; addit enim *aut si forte regnum nemini debeatur, ei confert regnum cui ratio dictauerit esse tribuendum.* At hæc ratio quid est mihi Papæ voluntas? qui pro sua sapientia iudicat & decernit de causis abdicationis, & de eo ad quem regnum sit transferendum? Eligit autem non eum cui debetur regnum iure successionis, sed eum cui plus virium; & cui Rex legitimus minus possit resistere; vt fatetur ibidem Bellarminus, *Leonem tertium Imperium Occidentale a Græcis ad Francos transtulisse, quoniam ipsi in Occidente potentissimi erant.*

Libro in Barklaium cap. 12.

VII Nihilo verius est quod ait Bellarminus eodem in Barklaium libro, cap. 7. *Summi Pontifices* (inquit) *consueuerunt Pincipes ista ratione coercere. Ipsorum mos est primum paternè corripere. Deinde per censuram Ecclesiasticam Sacramentorum communione priuare. Deniq; subditos eorum a iuramento fidelitatis absoluere, eosq; dignitate regia, si res ita postulat, priuare.* At hunc ordinem non seruari a Papa certo certius est: Nam nec Elizabetam vnquam paternè admonuit, Nec vlla eius memoratur

ratur ad Regem Atabalippam paterna commonefactio. Nec Chilpericus ante Sacramentorum communionē priuatus quam regno eiectus. Immo Gregorius VII. qui primam & acerrimam huic sæuitiæ facem pertulit, ante priuauit Henricum IV. Imperio quam sacra comunione. Id testâtur bullæ fulminantis verba, apud Platinam in Gregorio VII. *Henricum qui audacter nimium & temerarié in Ecclesiam manus iniecit, Imperatoria administratione Regiaque denuo & Christianos omnes imperio subiectos iuramento illo absoluo, quo fidem veris regibus præstare consueuerunt.* Tum addit, *Præterea eum anathematis vinculo colligo, &c.*

VIII Nunc audi aliud temperamentum Papalis potentiæ, cuius acumem est joculare, & faceta modestia. Cap. 3. in Barklaium, subijcit principes infideles Pontifici, asserens Papam habere a Deo authoritatem eos priuandi dominio quod habent infideles. Quia tamen hoc abhorret a sensu communi nec facile est percipere quid authoritatis habeat Papa in Turcam à quo sibi male metuit, sententiam duriorem mollit Cardinalis hac distinctione, *Etiamsi absolute non pertinet ad Pontificem de his qui foris sunt iudicare, neq; habeat Pontifex in illos ordinariam potestatem cum ad gregem sibi commendatum non pertineat nisi in potentia: tamem in ordine ad conseruationem fidelium habet a Deo auctoritatem priuandi principes infideles dominio quod habent super fideles.* Nempe sic agit, vt si latroni dicerem: non est quidem mihi vlla in tuum caput potestas, habita tamen ratione boni publici possum te in crucem agere. Sic quæ per lu-

dibriũ porrigit, mox ad ſe retrahit, vt ſit puerulis, & neſcio quibus dilutis diſtinctionibus a ſe orſa detexit. Nam quid refert quim ob finem Papa poſſit Turcæ aut Sinarum Regi abrogare Imperium ſi re vera poteſt? talibus officijs bonus Cardinalis nobis imponit, nec dici poteſt quantum ſibi promittet de ſtupore lectoris cui ſic impune illudit.

IX Vnum reſtat temperamentum Papalis potentiæ quod habetur, cap. 21. in Barklaium his verbis. *Diſpenſat Pontfex in votis & iuramentis quæ Deus ipſe iuſſit reddi, & quorum ſolutio de iure diuino eſt. Diſpenſat autem non quod ſit ipſe ſuper ius diuinum, ſed quia interpretatur Deo placere vt in tali vel tali caſu iuramentum aut votum relaxetur.* Nempe percallet Papa Dei mentem, habetq; ſecreta cum eo colloquia. Quapropter etſi Deus hoc aut illud iubet, faciet tamen Papa nobis iſtius obſequij gratiam. Non quidem quod ſit ſupra legem Dei, ſed quia interpretatur Deo non placere, vt hac in re ei pareamus. Poterit ergo Papa permittere alicui parricidium, periurium, idololatriam. Non quidẽ quod ſit ſupra legem Dei hæc vetantem, ſed quia interpretatur Deum nolle ſibi hac in re morem geri. De quibus interpretationibus ſic pronunciant Canoniſtæ, in Gloſſa Canonis *ſunt quidam* Cauſa 25. Quæſt. 1. *Papa diſpenſat in Euangelio interpretando ipſum.* Et titulo 8. de conceſ. proband. cap. Propoſuit vbi Papa dicit ſe poſſe. *De iure ſupra ius diſpenſare.* Gloſſa annotat. *Papa contra Apoſtolum diſpenſat, item contra vetus Teſtamentum.* Nempe hoc eſt

clare

clare loqui, & ſine circuitione. Merito ergo hic ambigas, maiorne ſit, aut horum hominum impietas, aut populi fatalis ſtupor, aut Dei patientia. Quanquam & hic aliqua eſt Bellarmini modeſtia. Cum enim Papa dicat ſe diſpenſare de iure ſupra ius, hunc Cardinalem puduit ſic loqui. Veruntamen dum negat Papam eſſe ſupra ius diuinum, re tamen ipſa facit cum Deo ipſo ſuperiorem. Nam plus eſt ſic eſſe interpretem quam legiſlatorem, ſi quidem non ſtandum eſt verbis legis, ſed Papali interpretationi.

CAP. VII.

Cauſæ abdicationis Imperatorum & Regum.



EST Iuſti Iudicis & boni attemperare pœnas peccatis, nec ſi grauiſſimis ſceleribus grauiſſimas pœnas infligere. Cum autem nulla ſit grauior pœna quam Regem anathemate confoſſum præcipitare de ſolio quiſquis de Papa bene ſentiet, ſibi perſuadebit eum non id facere niſi grauiſſimis de cauſis & ob horrenda facinora. Quæ ſint iſtæ cauſæ, quæ ſcelera, operæ pretium eſt cognoſcere.

Quatuor apud Bellarminum & alios cauſas inuenio, ob quas Papa in Reges ſtringit excommunicationis telum, & ab vno in alium transfert imperium: 1. Ingenij tarditatem. 2. Imminutionem libertatis & pri-

uilegiorum Ecclesiæ. 3. Hæresim. 4. Tyrannidem. De singulis pauca.

Tarditas ingenij.

Prima est tarditas Ingenij, quam nos Incapacitatem dicimus. Canon, *Alius* Causa 15. Quæst. 6. hæc habet *Romanus Pontifex Zacharias Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis deposuit.* En causam destitutionis tarditatem ingenij. Ergo sit ne Rex regno idoneus & par moli negotiorum, penes Papam erit Iudicium. Mittet, opinor, cognitores qui de Regis prudentia aut cerebri firmitate cognoscant. Mirum ergo quod cum noster Carolus VI. in phrenitidem incidit, aut cum sub stirpe Merouingorum Reges tam multi essent discincto ingenio atque dissoluto, aut cum inter Imperatores Græcos & Reges Gottorum. & Longobardorum multi fuerint Semibelluæ, Papa de transferendo in alterum regno nunquam cogitauerit. Illud quoque obseruet Lector quod si quis priuatus furiosus sit aut decoctor, non idcirco exuitur bonis, sed relegatur ad agnatos & gentiles, & curator ei datur qui eius vice curam gerat rei familiaris: Non enim leges puniunt morbos, sed scelera. Cum Rege qui non quidem sit furiosus sed tantum obesioris naris, & minus solertis ingenij, cur durius agatur non video. Cum enim possit dari Regi administrator quem nos Regentem vocamus, & cum sacer senatus sustineat molem negotiorum, nulla ratio est cur non subueniatur

ueniatur Regi infirmo, nec æquum est vt ob cerebri imbecilitatem auito regno spolietur, eiusq; liberi aut agnati fraudentur paterna successione; quod tamen in Chilperico factum a se esse Papa gloriatur.

Imminutio priuilegiorum Ecclesiæ.

Secundam causam destitutionis regum affert Bellarminus, ex Gregorio I. qui Abbatiæ S. Medardi hoc priuilegium concessit, vt si quis seu Rex seu Prælatus seu quicunq; alius, Abbatem S. Medardi loco mouerit, aut accusationem in eum mouerit sub testibus paucioribus quam duodecim præter accusatores, dignitate sua cadat, & omni honore priuetur: Magnum vero crimen & piandum Regis abdicatione. Ita nempe istius Cœnobij Abbatibus parta est impunitas, & summa peccandi licentia. Becani Iesuitæ, libro de controuersia Anglicana pag. 127. hæc sunt verba, *Reges & Principes qui violauerint priuilegia* (*Monasterij*) *a Pontifice concessa, excommunicandos & sua dignitate priuandos esse.* Neque aliam ob causam Imperatores Germani, & Reges Angliæ, & Philippus Pulcher Rex Francorum diris Papalibus fuerunt confossi, quam quia ἐνθρονισμοὺς seu inuestituras & collationes beneficiorum a maioribus suis possessas retinere conabantur. Fuitque inter hos Principes & Papam controuersia non super fide, sed super rebus temporalibus & pecuniarijs: Pontificibus obtestātibus rationes suas a Regibus minui, & libertates quas vocant Ecclesiæ violari.

Non arguebantur hi Reges Atheismi, aut(quod grauius putatur) hæreseos immo nec crudelitatis in subditos innocentes: Sed rei haud dubiæ grauioris, nempe quod Imperij sui Maiestatem collabentem aduersus nouas vsurpationes Paparum tutarentur, & Ecclesiæ rationibus aduersarentur: Nam Ecclesiæ nomine non iam amplius cœtus fidelium, sed Clerici & prouentus Clericorum significantur: libertasque Ecclesiæ non est amplius pax conscientiæ, aut libertas a Satanæ seruitute, sed exemptio a Regum subiectione, & indigna regalis potestatis decurtatio.

Hic subit mirari quî factum fuerit vt cum Gensericus Rex Arrianus inuasit Hispaniã & deinde Africam & de Prouincia amplissima per vim occupata, fidem Catholicam expulit, Episcopus Romanus qui procul aberat nec sibi a Genserico tunc metuebat, non strinxerit fulmen in hæreticũ tyrannum, nec ei abrogauerit Imperium. Nunc vero si Rex quantuncumque bonus & clemens fundos & prædia sui regni velit esse sui beneficij, & se dante ab Episcopis possideri, aut si in Abbatem, reum veneficij ant paricidij, sub vndecim tantum testibus, voluerit lege agere, illico stringitur telum excommunicationis, & priuatur Rex misellus imperio. Sic nempe habentur Reges sub ferula vt pueri, sic precario tantum regnant obnoxij durissimæ tyrannidi. Sed de his immunitatibus & priuilegijs postea plenius. Vbi & docebimus priuilegium illud S. Medardi esse ementitum, & summo stupore confictum.

Nec omittendum Papas hac in re solere onerare

rare Reges fictis criminibus, nec quicquam minus optare quam vt Reges se insontes probent. Vnum exemplum è multis proferam ex Helmoldo presbytero cap. 32. Circumsteterunt Henricum IV. iam pene à suis desertum Moguntinus, Coloniensis, & Wormatiensis Episcopi, missi a Principibus coniuratis, eumque sic sunt affati: *Fac nobis reddi coronam, annulum, & purpuram, caeteraq; ad Inuestituram Imperialem pertinentia filio tuo deferenda. Illo percunctante deiectionis suae causam, responderunt dicentes; Quid quaeris quae tu optime nosti? Meministi qualiter vniuersa Ecclesia tui causa maximo Scismatis errore multis iam annis laborauerit? Qualiter Episcopatus, Abbatias, praeterea omnia Ecclesiae regimina fecisti venalia, nec fuit in constituendis Episcopis vlla legitimae electionis facultas, sed sola pecuniae ratio. Pro his & alijs causis sanxit authoritas Apostolica, fauitq; Principum vnanimitas, te non solum regno, verumetiam Ecclesiastica communione priuandum. Quae contra Rex ait. Dicitis quia spirituales dignitates precio vendiderimus, vestra quidem potestas est, tale crimen nobis impingere. Dic ergo Moguntine, dic adiuratus per nomen aeterni Dei, quod exegimus, aut recepimus, quando te Moguntiae praefecimus? Tu quoq; Coloniensis, per fidem te contestamur quid nobis dedisti pro sede cui nostra munificentia praesides? Illis fatentibus nihil pecuniae huius rei gratia aut oblatum aut acceptum, Rex ait Gloria Deo quia vel in hac parte fideles inuenti sumus. Certe dignitates eae duae praestantissimae sunt, & magnum questum Camerae nostrae referre poterant. Porro Dominus Wormatiensis qualis a nobis susceptus ad quid promotus, scilicet pie-*

tate vel questu erga ipsum vsi fuerimus, nec vos nec ipsum latet. Condignam ergo beneficijs nostris rependitis gratiam. Nolite quæso fieri participes eorum qui leuauerunt manus aduersus Dominum & Regem suum, & temerauerunt fidem & iuramentorum Sacramenta. Ecce iam defecimus, parumq; nobis via restat senio & labore confectis, sustinete modicum, & nolite gloriam nostram confusione terminare, &c. Hæc frustra causantem Imperatorem, & surdis canentem fabulam, circumstant properi, de solio deturbant, eripiunt coronam, detrahunt purpuram, filius inuadit Imperium sic statuente Pontifice. Mortuusque senex miserabilis præ dolore, non habuit qui honore sepulturæ corpus exanime prosequeretur, ne Papæ, etiam in cadauer irati & vltra mortem sæuientis indignationem incurreret. En causas abdicationis; en benignitatem Apostolicam, certe talis est historia quæ vel durissimis animis lacrymas excutiat.

Hæresis.

Tertium crimen & longe grauissimum est hæresis. Nam præ hac labe Atheismus res est leuis & digna venia, ideoque abdicationis causis non annumeratur. Sic & Iudæi Romæ viuunt summa libertate, & Christum impune vocant Impostorem, & planum: hoc enim est inter capita Iudaicæ religionis. At si quis sacram Scripturam lingua vernacula legere ausus fuerit, aut aliquid mutire contra Purgatorium aut cauponationem indulgentiarum, statim vt piacularis victima destinatur

ſtinatur ignibus, & inquiſitorum judicio exquiſitiſſimis cruciatibus necatur.

Hic vero præcipue res Regum & Imperatorum ſunt iniquiſſimè comparatæ, cum enim Pontifices ſibi in controuerſijs de fide arrogent ſummum judicium, & de quo nefas ſit ambigere, is demum erit hæreticus quem Papa notauerit hæreſeos. Vnde fit vt idem Papa ſit actor & judex. Cum enim notum ſit quanta ex regnorum tranſlatione & Regum abdicatione ad Papam redundet vtilitas (fit enim per hoc Rex regum, & vnicus ſupra omnia imperia Monarcha) promptum erit affingere Regi crimen hæreſeos aut fautoris hæreticorum.

Quin & nomen hæreſeos video a Pontificibus tam laxe accipi, vt vix vllus ſit hodie Pontificiorum, qui Papa ipſo iudice, crimen hæreſeos effugiat. Guaginus refert Philippum Pulchrum declaratum eſſe hæreticum a Bonifacio VIII. quod Papæ in bello Ieroſolymitano opem ferre recuſaret. Altera accedebat cauſa quod Philippus, beneficiorum collationem ſibi vindicaret. Auentinus lib. 3. Hiſtoriæ Boiorum refert Virgilium Epiſcopum Iuuanenſem, qui Diuus habebatur, Sacerdotio & Eccleſia pulſum, quod Philoſophus eſſet, & Antipodes eſſe doceret habentes nobis aduerſa veſtigia. Rem illo æuo ridiculam & incredibilem.

• Æneas Syluius qui & Pius II. in Bulla recognitionis qua agnoſcit ſe in tenebris ambulaſſe, & procul à vera luce receſſiſſe quando credidit Concilium eſſe ſupra Papam: *Contra Concily* (inquit) *Tomo 4. Conciliorū.*

(inquit) *dignitatem mutire crimen hæresis fuit.* Hoc si ita est, quotquot sunt in Gallia Pontificij, paucis demptis, sunt hæretici, quippe apud quos parua est Tridentini Concilij auctoritas: neq; enim a Regibus & Parlamentis impetrari potuit vt in Gallia obtineret. Sic & dicendi erunt hæretici quotquot non probant tertium Caput Concilij Lateranensis sub Innocentio III. quo Papa sibi arrogat potestatem regna adimendi, & ad alios transferendi. Erunt & hæretici qui non assentiuntur Concilio Niceno secundo dicenti Angelos esse corporeos, & imagines esse sacris Euangelijs æquiparandas, & maiorem esse imaginem oratione. Hæretici quoq; dicendi erunt qui malunt credere synodo Laodicenæ a tot sequentibus Synodis generalibus appobatæ quæ libros Maccabeorum ex Canone exterminat, quam Concilio Tridentino quod libros istos Canonicos esse decernit. Quid quod Concilium Constantiense sess. 13. fatetur a Christo institutam Eucharistiam sub vtraq; specie, & ita peragi solitam a veteri Ecclesia, nihilo secius tamen audet eos pronuntiare hæreticos qui calicem esse adeptum laicis conqueruntur? Parum absuit quin Christum hæreticum venerandi Patres dixerint. Sic & hodie hæresis est credere cum Paulo Apostolo Episcopum debere esse vnius vxoris virum, aut satius esse in Ecclesia proloqui quinq; verba lingua intelligibili, quam decem millia linguâ ignotâ. Deniq, habes in bulla *Exurge* quæ est ad calcem vltimi Concilij Lateranensis hæreses Lutheri longâ serie pertextas, atq; inter has hæc duo documenta *Certum*

Sess. 4. & 6. & 7.

est

est (inquit Lutherus) *in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse statuere articulos fidei.* Tum istud. *Optima pœnitentia, noua vita.* En hæreses horrendas, & in Rege vindicandas priuatione regni, ac proinde & morte: nam quotusquisq; regum amisit imperium nisi cum vita?

Quod si ob hæc dignus est Rex qui regno multetur, at certe non æquum est vt ab eo iudicetur qui ipse sit hæreticus, quales fuisse multos Papas constat. Iohannes XXIII. negabat immortalitatem animarum, & hoc Synodus Constantiensis sess. 11. dicit *teneri, credi, reputari publicè, palam & notoriè.* Eo igitur sedente si aliquis Rex fuisset insimulatus hæreseos, qua fronte aut quo iure homo in quo ne gutta quidem erat religionis, potuisset de tali Rege ferre sententiam? Mirum vero cum inter Imperatores Græcos tam multi fuerint hæretici vt Constantius, Valens, Basiliscus, & ipse Iustinianus qui in senectute in Aphthartodocitarum hæresim prolapsus est, cur nulla extet in eos Pontificum Romanorum abdicationis sententia: nonne Reges Vandalorum in Africa, Gottorum, & Longobardorum in Italia, Visigottorum in Hispania, erant Arriani, eorumq; maxima pars parum formidabilis Pontifici? neque tamen vnquam Papa exemit subditos eorum ab obedientia iurata, neque eorum vllum anathemate aut fulmine perculit. Nouissimis sæculis Papa vsurpauit hanc tyrannidem, & colores hos quæsiuit hæreseos aut stuporis quos suæ tyrannidi prætexeret. Et nouissimis experimentis compertum est, probis & pijs regibus affingi crimen hæreseos,

Editionis Coloniensis Tom. 3. p. 8. 4.

resceos, vt assuescant subditi inquirere in mentem & conscientiam suorum Regum, quorum oderunt Religionem quia oderunt dominationem : nec aliud hodie certius argumentum pietatis & probitatis, quam hæreticum appellari.

Tyrannis.

Superest tyrannis, crimen vsitatissimum & latissime patens; in cuius vocis significatione quia sic luditur, vt etiam optimi quique Principes a Iesuitis tyranni appellentur : quid sit tyrannus necesse est cognoscere.

Notum est vel pueris tyranni nomen olim pro quolibet Rege aut Reipublicæ Principe fuisse vsurpatum. Violenta & inciuilis Regum dominatio vocem honestam in odium vertit. Duo autem sunt tyrannorum genera, alij sunt tyranni vsurpatione, alij administratione. Tyrannus vsurpatione est qui Imperium inuasit in aliena Republica, aut in sua. Tales in Dei populo Abimelech & Athalia, Athenis Pisistratidæ, & quos longum esset referre : quos quidem iure occidi posse quando in alienam possessionem irrumpunt, & quandiu per vim aliena possident, constans est prudentium sententia. Neque hic expectanda est Papæ, aut cuiusquam externi Principis sententia. *In reos Maiestatis & publicos hostes omnis homo miles est*, ait Tertullianus Apol. cap. 2. At si regnum iniustè partum iustè administrent, vt Cypselus & Periander Corinthi, Orthagoræ stirps Sicyone, Gelon & Hiero Siracusis, & desit legitimus

legitimus successor, & inuasor alieni regni non amplius imperet inuitis sed volentibus, ac in eius verba populus, & regni ordines, & magistratus, non coacti sed vltro iurauerint, eiusmodi seu Regem seu tyrannum tollere de medio non puto fas esse aut pium. Sunt enim hodie regna non pauca florentissima & bene constituta, quibus tamen initium dedit non ius, sed vis, bellique fortuna: nam si res a prima memoria repetas, inuenies effusos in alienum solum barbaros, allectos cupiditate prædæ, fusas acies, victorumq; fortunas cessisse victoribus in præmium victoriæ. Non quidem quod putem posse aliena regna vsucapi, aut locum hic esse certæ præscriptioni, sed quia existimo voluntatem populorum, fidemque datam, legesque non per vim, sed ex æquo & bono constitutas, ius acquirere nouo regi, & maximum esse regiæ potestatis firmamentum. Adde quod non secus ac proceres arbores suo casu multas in ambitum arbusculas obterunt, ita Regum quantumlibet iniustorum casus multos innocentes pari ruina inuoluit, nec semel bene constituta Respublica potest per vim mutare dominum sine publica pernicie. Qua de re habes insignem locum Augustini in Psal. 124. *Aliquando* (inquit) *iniusti perueniunt ad honores sæculi, cum peruenerint & facti fuerint vel iudices vel Reges, quia hoc facit Deus propter disciplinam populi sui, non potest fieri nisi vt exhibeatur illis honos, debitus potestati.*

Alterum genus est tyrannorum quod non inuasit alienum Imperium, sed abutitur suo. Differt hic Tyrannus a Rege, quod hic (vt ait Philosophus)

phus) imperat ad ſubditorum vtilitatẽ, ille ad ſuam. Rex ſuos mores ad leges exigit, Tyrannus leges ad ſuos mores. Ille amari ſtudet, hic metui. Ille timet ſubditis, hic ſubditos. Ille conatur relinquere ſucceſſori Rempublicam tranquillam, hic vſurpat illud tyrannicum

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Nero addebat ἀλλὰ ἐμοῦ ζῶντος. Ariſtoteles tertio Politicorum cap. 14. addit, Regem habere cuſtodes corporis, ciues: At Tyrannum peregrinos. Quippe qui habet præſidium non ex ſubditis, ſed contra ſubditos. A qua regula debent excipi Reges qui inter prætorias cohortes habent aliquas ex vicinis populis, non ob metum ſuorum, ſed ad fœderis & pacis cum vicinis firmamentum.

Ariſtot. Nicomach. lib. 8. c. 12. ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς, τὸ τῶν ἀρχομένων.

Suetonius in Nerone.

Neque vero ideo aliquis tyrannus cenſendus eſt quod durius imperet ſubditis, & ſic agat cum eis vt Dominus cum ſeruis. Si enim δεσποτικὸν Imperium fuerit legibus ſtabilitum, acceſſerit conſenſus populorum: tum ſi Rex herili illa poteſtate vtatur ad bonum ſubditorum, non erit quidem ille tyrannus, ſed leges fortaſſe tyrannicæ, eritque culpa non hominis, ſed legum, aut populorum, quorum ingenijs hæc regni forma eſt accommodatior: aut qui ita ſunt cerebroſi & præfactis animis vt non poſſint aliter in officio contineri. Tale eſt Imperium quod Ariſtoteles vocat βαρβαρικόν. Tum poteſtas Aeſymnetarum quæ apud priſcos Græciæ populos obtinuit, quæ erat αἱρετὴ τυραννίς, tyrannis vltro delata a populo: Nec diſſimulandum multa in hac aut illa gente haberi ciuilia quæ alibi eſſent tyrannica: multaſq; virtutes poſſe

Ariſtoteles Polit. 3. cap. 14.

deſiderari

desiderari in Principe, quem tamen nequeas merito Tyrannum appellare. Sunt Principes in quibus reprehendas τὸ ἀπαράτητον, & asperitatem δυσπρόσιτον vt in omnibus Regibus Parthorum notat Tacitus: aut sordes Principe indignas vt in Alexandro Mammeæ, sed sine rapina: aut indiscretam liberalitatem vt in Alexandro Magno, qui tamen cætera sunt boni & amantes æqui, & erga subditos paterno affectu. At si quis potestate legibus concessa ad libidinem abutitur, & subditorum pascitur sanguine, suorum damnis insultans, hic sine dubio est tyrannus.

Tacitus Annal. lib. 2. prompti adit. obuia comitas, ignotæ Parthis virtutes, noua vitia.

Eiusmodi hominem fas ne sit regno pellere, controuertitur. Ego quidem hac in re puto adhibendam distinctionem. Sunt enim Reges quidam αὐτοπύθυνοι, & veri Monarchæ, quales sunt Reges Galliæ, maioris Britanniæ, Hispaniæ, addo etiam Turcicum Imperatorem, Æthiopem, Moscouitam, &c. Horum sceptra aut vitam attingere nulla lex, nulla ratio subditis permittit, vtcunq; tyrannicè se gerant: Monere quidem fas, & sacris arcere, & quandocunq; imperauerint iniusta, & a Deo disertè prohibita non obsequi, & quacunque ratione legibus concessa, furentes, in gyrum rationis reducere; stat enim firma illa regula, Deo potius obsequendum quam hominibus. At sunt quædam Regna in quibus Reges sic creantur electione optimatium, aut ordinum Regni, vt summa potestas penes optimates & ordines maneat, electi nimirum sub certis conditionibus, quibus violatis non teneatur Populus obsequi. In his Regnis non dubium est quin possit cum

ſcelerato Rege, legum & pietatis euerſore lege agi, & quin ijdem qui ei hanc poteſtatem contulerunt, poſſint eripere: aut ſi contra arma moueat, contra armis rem gerere. Sic a Spartanis Ageſilaus multatus, Agis & Pauſanias occiſi: erant enim Spartani Reges [a] ὑπεύθυνοι, magiſq; eorum munus erat [b] στρατηγία ἀΐδιος, quam regia dignitas. Domi vero vis ipſa & robur Regni erat penes Ephoros. Quamquam prudentiæ eſt non venire ad hæc vltima remedia niſi in vltimis malis: ſemper enim ſacrum eſt nomen Regis: quod cùm Deus ipſe ſibi tribuat, metuendum eſt ne in homine Rege, regis cœleſtis Maieſtas violetur.

[a] *Obnoxij reddendæ rationi.*
[b] *Militare Imperium perpetuum.*

Id quoq; addendum, alias eſſe partes boni viri, alias boni Regis, vtcunque inter ſe conſpirent & ſe iuuent inuicem. Quibuſdam peccatis committitur in officium Chriſtiani aut hominis, quibuſdam in officium Principis. Nec deſunt exempla peſſimorum virorum ſub quorum tamen Imperio fluxerunt anni felices, & pax ac Iuſtitia floruit, & qui magno Reipublicæ diſpendio ſunt mortui: in publico quidem graues & juſti & amantes pacis, at domi occultæ ganeæ indulgentes, libidinibus fædi, abſcondentes impietatem, conſcientia pariter & ignauiâ timidi: ob hæc nemo poteſt dici tyrannus, nec cum eo poteſt agi vt cum tyranno, eſt enim tyrannis vitium Regis, qua Rex eſt, non qua homo: nam etſi habet Deum vltorem criminum, plurimum tamen ei debet Reſpublica.

Hæc ſane ſunt apprime notanda, ne quis tyranni vocem ad alia trahens confingat cauſas Regis exauctorandi, aut ſubditos in Principem ſuum concitandi.

concitandi. Quod ſane video fieri a Papis & Papæ Emiſſarijs Ieſuitis. Neque enim tyrannum vocant tantùm eum qui in alienum Regnum irrupit, ſed & eum qui Pontificum libidini & auaritiæ non ſatisfacit, aut qui Papæ decreto Regno exutus, conatur illud armis omnique ope & opera retinere, quod Henrici IV. Imperatoris exemplum abunde docet. Nempe idcirco Mariana Henricum III. vocat tyrannum, Ribadenera etiam Machiauelistam, quia Papali fulmine ambuſtus Regni tamen gubernacula retinebat, *clauumque affixus & hærens Nunquam amittebat*, cum tamen ingenio eſſet vt quiſquam alius facili, & bono, nec vllum eius extet ſæuius factum, niſi ad quod neceſſitate compulſus eſt, Sic & noſter Henricus IV. a Cardinali Baronio in Epiſtola ad Panigarolam ſuis annalibus Voluſianis præfixa, vocatur impius Benadab, cum tamen non vt Benadab alienum regnum infeſtaret, ſed ſuum tueretur. Quid ſi Rex fuerit aut ſubiecto igne difflatus, aut immiſſis Sicarijs confoſſus, ſtatim audies non Regem occiſum, ſed tyrannum: Non enim eſſe Regem cui Papa imperium abrogauerit, eoque ipſo eſſe tyrannum. Fruſtra ergo tam operoſe quæritur quæ ſit natura, qui mores, quot genera tyrannorum, vna hæc definitio ſit longæ tractationis inſtar, *Tyrannum eſſe qui Papæ quacunque modo aduerſetur*. Certe pronuntiari tyrannum hoc nomine prima tyrannis eſt.

Ribadenera Ieſuita lib. de religione & virtutibus Principis, lib. 1. c. 15.

Aeneid. lib. 5.

CAP. VIII.

Quibus se locis Scripturæ Papa Bonifacius & Bellarminus in hac causa tueantur.



Bonifac. VIII. cap. licet. de Constituti-onibus in 6.

Nicolaus Aegidius

Guaguinus, Paulus Aemilius & alij.

PONtifices gloriantur se habere omnia iura in scrinio pectoris. In eandemque sententiam Iesuitæ constanter docent, Papam loquentem vt Papam, non vero vt Clementem errare non posse in fide. Hic ergo audiamus Papam ipsum fundentem oracula, & proferentem scripturæ loca quibus fulciat potestatem suam in temporalia. Habemus hac de re extrauagantem, *Vnam sanctam,* quæ est Bonifacij VIII. tunc factam, cum Bonifacius assereret Philippum Pulchrum Galliæ Regem sibi subesse in temporalibus, hic autem contra pertenderet, vsque adeo vt scriptis ad Bonifacium litteris eum fatuum & dementem appellaret. Litterarum tenor hic est, *Philippus Bonifacio salutem modicam, aut potius nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus, nos alicui non subesse, aliquarum Ecclesiarum & præbendarum vacantium collationem ad nos iure regio pertinere, & fructus earum vacatione durante nostros facere. Collationes a nobis factas & in posterum faciendas fore validas, & illarum vigore possessores contra omnes nos tueri. Secus autem credentes fatuos & dementes reputamus.* Quem Bonifacius vt vlcisceretur, regnum Galliæ dat Alberto Imperatori Germaniæ, omnes indulgentias Gallis datas reuocat, Regem anathemate

notat

notat. Insuper cudit Bullam extrauagantem cuius rationes libet hic proponere.

I. *Dominus (inquit) dicit Petro, pasce oues meas. meas, inquit generaliter, non singulariter has vel illas: per quod sibi commisisse intelligitur vniuersas. Siue ergo Græci, siue alij se dicunt Petro eiusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse se de ouibus Christi non esse, dicente Domino in Iohanne vnum ouile & vnicum esse Pastorem.* Quo etiam argumento Bellarminus frequenter vtitur.

Respondeo cum Augustino cap. 30. de Agone Christiano. *Cum Petro dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, pasce oues meas.* Neque enim dicit *Pasce solus oues meas* sed tantum *Pasce oues meas.* Nam cura pascendarum omnium ouium Christi non soli Petro, sed omnibus Apostolis fuit demandata. Eos enim sine discrimine sic affatur Christus *Profecti docete omnes gentes* Matt. 28. Inde est quod Paulus 2. Cor. 11. dicit se gerere sollicitudinem omnium Ecclesiarum, quod certe est pascere omnes oues Christi. Quod si cura pascendi oues Christi non pertinuit ad cæteros Apostolos, immerito Pastores appellarentur. Petrum autem peculiariter Christus compellat, quia solus Christum negauerat, vnde & causa erat cur putaretur suo munere cecidisse: quocirca toties in munus restituitur quoties Christum negauerat, & triplici abnegationi apponitur triplex confessio, vt docet * Augustinus tractatu 123. in Iohannem & Ambrosius in Apologia Dauid cap. 6. Fac tamen soli Petro esse commissas oues Christi, quid hoc ad monarchiam Papæ temporalem, & vibranda in

Redditur negationi trina trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quam timori.

Reges fulmina, & regna danda & eripienda? Pastores enim Ecclesiæ dicuntur pascere, cùm docent Ecclesiam, & animabus suppeditant pabulum spirituale, non vero cùm eripiunt fundos, aut domos, aut regna; Hanc acceptionem vocis pascendi nunquam Ecclesia agnouit. Quis fando vnquam audiuit Dei verbum tanta libidine contorqueri? Res quidem esset leuis barbarè loqui, & dignior risu quam odio, nisi sub corruptione vocum gliscerct corruptio doctrinæ, & per nouam Grammaticam occultè stabiliretur noua Theologia. Fingamus tamen his verbis dari Petro potestatem in Cæsarem, & totius orbis imperia, an idcirco Bonifacius quod vult obtinet? Cur enim ad Episcopum Romanum esset hæc potestas potius deuoluta quam ad sedem Antiochenam & Alexandrinam, quas esse Petri sedes, & earum sedium Episcopos esse Petri successores ipse Gregorius I. Episcopus Romanus agnoscit, epistola 37. libri sexti: *Cum ergo* (inquit) *vnius atque vna sit sedes cui ex auctoritate diuina tres nunc Episcopi præsident, quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Si quid de me boni creditis hoc vestris meritis imputate.* Nempe si Petrus fuit Episcopus Romanus, qui ei successerunt Romæ dum doctrinam a Petro traditam sunt secuti, fuerunt successores Petri in Episcopatu Romano, at non in Apostolatu: non secus ac Ierosolymitani Episcopi erant successores Iacobi Apostoli in Episcopatu Ierosolymitano, at non in Apostolatu. Idemq; censendũ de Episcopo Antiochiæ vbi Petrus toto septennio docuisse, & ibi successores reliquisse, perhibetur.

II. Bellar-

II. Bellarminus cap. 25. in Barklaium ex hoc eodem loco sic argumentatur. *Cum Petro dictum est Pasce oues meas data est illi facultas omnis quæ est Pastori necessaria ad gregem tuendum : At Pastori necessaria est potestas triplex, vna circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poterit. Altera circa arietes, vt si quando cornubus lædat gregem, possit recludere* (includere voluit dicere) *Tertia circa oues reliquas vt singulis tribuat conuenientia pabula. Ergo hanc triplicem potestatem habet summus Pontifex.*

Huius Syllogismi maior falsa est, multa enim sunt necessaria ad tuendum gregem quæ tamen noluit Deus esse in potestate pastorum: sic omnes assultus diaboli & tentationes prohibere, aut euertere regnum Principis mundi, non est penes pastores, sed in solius Dei manu : Ita nec penes eosdem Pastores est Reges inimicos Ecclesiæ trucidare, aut solio detrudere. Sed quemadmodum pastoris est Satanæ technas ante prospicere, & in eius insidias digitum intendere, & dare operam vt Ecclesia eius impetum corpore excipiat & bonis, conscientiam vero seruet illibatam : Sic & eorundem Pastorum est obfirmare suum gregem aduersus tyrannorum minas atq; sæuitiam. Multa sunt ad salutem & tutelam Ecclesiæ necessaria quæ Deus sibi reseruauit. Estque plane falsum, immo & impium quod ait Bellarminus in responsione ad tractatum Gersonis de validitate excommunicationis : vbi cùm dixisset Papam merito Deum dici, & habere omnem potestatem in cœlo & in terra, addit *summum Pontificem posse efficere totum illud quod est necessarium ad perducendas animas*

mas in paradisum, & posse omnia impedimenta remouere, quæ mundus, aut dæmon eum omnibus suis viribus & astutijs opponere possunt. Quid? an Papa potest dare fidem aut pœnitentiam? an incredulitatem & vitia euellere de cordibus? an illustrare mentes luce diuina? at hæc omnia necessaria sunt ad salutem animarum. Cur autem patitur tam multas animas perire, tam multas superstitiones & hæreses grassari, tam atram noctem errorum terris incumbere, si potest omnia impedimenta obstruentia paradisi introitum remouere? Quod si potestas data fuit Petro abigendi lupos, & arietes cornupetas incursantes Ecclesiam, cur non fecit? Cur Imperatores impios horribili sæuitia grassantes in Ecclesiam non abegit, aut Imperio exuit? Facultas sine viribus res est titulo tenus & inutilis, quas tamen vires defuisse priscæ Ecclesiæ ipse Bellarminus fatetur. Quod si ita est, dicendum erit Episcopos Romanos huius æui magis esse Pastores Petro Apostolo, quippe qui habent ista tria, facultatem abigendi lupos, & ligandi arietes furiosos, & pascendi oues: At Petrus eiusque successores per multa sæcula duo priora non habuerunt, contenti munere pascendi.

III. Hæc quidem luce ipsa sunt clariora. Quapropter Cardinalis Baronius videns his verbis Christi *Pasce oues meas*, non posse tam multa superstrui, huic loco scripturæ alterum adiungit, in Epistola qua Papam in Venetos incitat, vbi sapienter obseruat non tantum dictum esse Petro *Pasce oues meas*, sed & *occide, & manduca*. Perapposite sane & ingeniose. Conatur quidem rem duriusculam

usculam mollire commoda explicatione. Sed quantuncumque æstuet, nunquam tamen efficiet his verbis *occide, & manduca*, vllam potestatem dari Petro in temporalia: Immo nec in spiritualia. His enim verbis Deus nihil dabat Petro auctoritatis aut potestatis, sed scrupulosam ciborum distinctionem antiquabat: Merito ergo tanta seu supinitas seu deprauatio scripturæ, a sapientissimo Rege in sua præfatione sugillatur. Nunc ad Bonifacium redeamus.

IV. Addit igitur *In hac (Ecclesia) eiusq; potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem Euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis ecce gladij duo hic in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis.* Potens sane demonstratio & scientifica: Nempe vbi loca diserta desunt, ad allegorias confugitur. Locus est Lucæ 22. vbi cum Christus iussisset discipulos sibi habere crumenam & peram, tunicamque vendere, vt esset vnde ensem emerent, mox ei a discipulis duo enses ostenduntur. Si ergo gladius hic significat Imperium Papale, quid erit tunica, quid pera, quid crumena? Habent ergo quo se tueantur qui Papatum emunt, siquidem iubetur emi hic gladius: Ita se hi homines suis compungunt aculeis.

V. Pari acumine Bonifacius paulo post citat illud Christi ad Petrum *Conuerte gladium tuum in vaginam*, vt inde probet gladium temporalem esse in potestate Papæ.

VI. Hæc loca tam præclara cùm sufficerent ad profligandam quæstionem & iugulandos hæ-

reticos, sua tamen sanctitas addit alia auctarij vice. *Cum* (inquit) *dicat Apostolus, non est potestas nisi a Deo: quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt: non essent autem ordinata nisi gladius esset sub gladio.* Hinc proculdubio sequitur Papam posse Reges exauctorare, & potestatem habere in omnia temporalia. O rem ridiculam Cato & iocosam. Mitto quod locus Apostoli corrumpitur, qui dicit potestates esse a Deo constitutas, non vero ordine digestas.

VII Idem probat ex decimarum solutione, benedictione, & sanctificatione. Quæ ratio si est alicuius ponderis ad subijenda regna & omnia temporalia Pontifici, singuli presbyteri & parœciarum Curiones eandem sibi in reges & regna potestatem vindicabunt.

VIII Pudet referre quæ sequuntur. Dicit Deus Ieremiæ cap. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes, & regna.* Hoc Bonifacius quasi de se dictum ad se trahit, cum tamen totum contextus filum hæc dici Ieremiæ manifeste euincat. Sane debuit aliquis alius a Papa esse interpres huius sententiæ: Nec ipse in rem suam Scripturas ex sua libidine interpretari.

IX Eiusdem farinæ est quod affert ex prima ad Corint. cap. 2. *Spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur.* Hic homo spiritualis, Petrus est, eiusque successores. Vbi frons aut conscientia? Apostolus spiritualem hominem opponit animali & carnali, cap. 2. vers. 14. & 15. & capite 3. vers. 1. Si ergo solus Petrus est homo spiritualis, cæteri Apostoli & omnes fideles erunt

carnales

carnales & animales: at Galatæ fideles, vocantur spirituales. cap. 6. verſ. 1. Non ergo ſolus Petrus. Neque vero de Petro aut eius poteſtate toto illo capite, aut alibi vſpiam facit mentionem Apoſtolus. Nec quiſquam veterum, immo & nouorum ante Bonifacium hunc locum ſic intellexit. Thomas commentario in hunc locum: *Spiritualis iudicat omnia quia ſcilicet homo habens intellectum & affectum ordinatum, per Spiritum ſanctum, de ſingulis quæ pertinent ad ſalutem rectum iudicium habet.*

X Succedit locus vſitatiſſimus & frequenter vſurpatus a Bellarmino. *Dixit Dominus Petro, quodcunque ligaueris in terra, erit ligatum in Cælis: & quodcunq; ſolueris in terra erit ſolutum in Cælo.* Hoc loco abutitur Bonifacius & Bellarminus ad probandum licere Pontificijs non ſolum ſoluere peccata per remiſſionem peccatorum, ſed etiam ſoluere obſtrictos voto aut iuramento: & populos liberare a debita ſuis Regibus obedientia. Deus bone, ſiccine impune illudi tuo verbo ſacroſancto? nam hæc non poſſe extendi vſque ad ſolutionē fidelitatis Regibus debitæ, euincunt voces iſtæ *Solutum erit in Cælis.* Chriſtus dicit. *Quodcunq; ſolueris in terra erit ſolutum in Cælis.* Huic ſententiæ ſenſus hic ridiculus ab his hominibus affingitur. *Subditi qui per veſtram diſpenſationē non tenebuntur obſequi in terra ſuis Regibus, neq; tenebuntur eiſdem obſequi in Cælo.* Sic cum Chriſtus hic agat de ſolutione quæ fit in terris, vtuntur tamen hoc loco ad aſtruendam ſolutionem quam volunt fieri ſub terra, id eſt in purgatorio, vt non mirum ſit ſi pari

ri libidine hunc locum trahunt ad ſolutionem vinculi fidelitatis.

Quod ſi vocem hanc, *quodcunq́*, ſic vrgent vt velint ad omnia ſine exceptione extendi, ergo & per hunc locum poterit Papa ſoluere omnia matrimonia, omne æs alienum, omnia vincula captiuorũ? Immo & ipſa Dei mandata vt docet Gloſſa Canonis. *Sunt quidam* Cauſa 25. quæſt. 1. *Papa diſpenſat in Euangelio interpretando ipſum.* Cuius poteſtatis habes experimentum dum poteſtas ſoluendi peccata data Apòſtolis, praua interpretatione torquetur ad ſoluenda vincula fidei & iureiurandi & facultas peierandi atque fallendi conceditur, efficiendone peccatum ſit peccatum, ne Rex ſit Rex: cur non etiam ne Deus ſit Deus? Nimirum vt cimba Petri nunc adhibetur ad faciendã mercaturam, & retia eius piſcatoria ad irretiendas Regum & populorum fortunas, & claues Petri ad ſcrutandos loculos & aperienda ſcrinia, ita facultas ſoluendi conſcientias a reatu peccati improbé traducitur ad ſoluenda fidelitatis vincula. Mitto quod verba illa *Quodcunq́ ſolueris, &c.* dicuntur omnibus Apoſtolis Matthæi cap. 18, verſ. 18, ac proinde & omnibus ſucceſſoribus Apoſtolorum, quales ſunt omnes fideles & pij Epiſcopi inſiſtentes veſtigijs & doctrinæ Apoſtolorum. Vnde fieret, omnes fideles Epiſcopos poſſe gratiam facere ſeruandæ fidei, quod tamen Papa vult ſibi eſſe peculiare. Neminem enim in ſocietatem tam impiæ ſocietatis admittit.

XI Nunc audi prodigioſi argumenti mirificum acumen. Bonifacius ſic probat vnicum

eſſe

esse rerum omnium caput, nempe Romanũ Pontificem, *Fingere* (inquit) *duo principia falsum & hereticum iudicamus, quia teste Moyse, non in principijs, sed in principio cœlum Deus creauit & terram.* Hoc vnicum principium vult esse Pontificem. Cui tam præclaro argumento, assuit hoc ἐπινίκιον. *Porro subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ, dicimus, definimus, & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.* Satis quidem pro Imperio. Est vero quod miremur stuporem hominum tam operosè conquirentium loca Scripturæ quibus Papæ Monarchia fulciatur, cum statim in limine & in ipsa prima linea sacræ Scripuræ occurrat tam insignis demonstratio. Hæc profecto argumenta non debent proponi nisi ab armato, tantum enim creduntur, quantum timetur qui ea profert. Immo & apud ignauissimos homines paratos ob quæstum quidlibet credere vix fidem inueniunt: Merito igitur Rex Serenissimus apologum Æsopi hic adhibet, *Cum* (inquit) *aselli auriculas leo vellet pro cornibus accipi, idem omnes sentire oportebat*: Veniet aliquis Papa qui Gedionis lagenis aut Samsonis vulpibus abutetur ad astruendam Pontifici in temporalibus Monarchiam, & hæ probationes vt semel ex cathedra fuerint prolatæ pro oraculis habebuntur.

XII His nihilo meliora addit Bellarminus. Adducit versum 17. Psalmi. 45. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram.* Hos principes super omnem terram Bellarminus vult esse Apostolos & Pontifices Romanos. At Psaltes hoc Psalmo agit de Christi cum

cum Ecclesia vnione, quam similitudine coniugij adumbrat: Quo ex coniugio nati liberi, non sunt soli Apostoli, sed quotquot Christo nomen dederunt & in Dei filios per Christum adoptantur, qui quidem in Scriptura reges & regale Sacerdotium non semel vocantur. Si cui tamen placet hos Principes esse apostolos non pugnabo vehementer; modo de Principatu spirituali intelligatur, non de temporali. Cuius principatus portio aliqua ab Apostolis ad omnes suos successores est deriuata. Sunt autem successores Apostolorum quoquot sunt Pastores boni, & fideles Episcopi, veram fidem docentes, & doctrinam Apostolicam.

1.Pet.2. Apoc.1.

XIII Pudet referre quod profert Bellarminus cap. 15. in Barkl. ex Numer. cap. 27. vbi ait dici, *ad verbum Pontificis Eliasar, tam Iosue ipsum quam omnem populum ingredi & egredi debere.* Hæc enim falsa ab eo dicuntur: & hæc authoritas datur non Eleazaro, verum Principi Iosue. Sed corrumpere Scripturam huic Iesuitæ familiare est.

XIV Marsilius Patauinus 2. Parte defensoris pacis cap. 3. profert quædam loca quibus Sophistæ sui temporis, Papæ potestatem coactiuam, & ius in temporalia tuebantur. Matth. 11. *Omnia est mihi tradita sunt a patre meo.* Et cap. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Vnde volunt confici Papam Petri & Christi vicarium habere potestatem in omnia temporalia. Tum illud Marci 5. *Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Ergo Christus disponebat de tempora-

poralibus: suillum plane acumen, & quo vel Crassus disrumpatur risu. Quale etiam illud ex Iohannis, 12. *Si exaltatus fuero, omnia traham ad me.* Ergo Papa in sublime euectus, ad se trahit omnia temporalia. Quo argumento vsus est Iacobus de Terrano, libro qui inscribitur Monarchialis tractatus. Addit Marsilius, alia non minoris acuminis. Quale est illud Christi Matth. 21. & Luc. 19. *Inuenietis pullum asinæ alligatum, soluite, & adducite mihi.* Et illud Pauli 1. Cor. 6. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* Et cap. 9. *Nunquid non habemus potestatem manducandi.* Ergo Papa habet potestatem in temporalia. Hæc quidem refellere est hominis otiosi, quemadmodum proponere vecordis est & improbi.

XV. Bellaminus lib. 5. de Romano Pontifice cap. 7. & in Barklaium cap. 21. abutitur loco Pauli 1. ad Cor. cap. 6. hoc modo. *Quod Christiani olim non deposuerunt Neronem, Dioclesianum, &c. id fuit quia deerant vires temporales. Nam quod alioqui iure potuissent id facere, patet ex Apostolo, 1. Cor. 6. vbi iubet constitui nouos iudices a Christianis, ne cogerentur Christiani causam dicere coram iudice Christi persecutore. Sicut enim noui Iudices constitui potuerunt, ita & noui principes propter eandem causam, si vires adfuissent.*

Syllogismus talis est, Qui potest constituere nouos Iudices, potest & nouos Reges.

At Populus Corinthi potuit constituere nouos Iudices. Vt docetur 1. Cor. 6.

Ergo Populus Corinthi potuit constituere nouos Reges.

Primo.

Primò. Conclusio talis est quæ nec ab aduersarijs ipsis creditur. Vtraque vero propositio falsa est. Et maior quidem, quia inuenientur Regis Ministri quibus data est potestas a Rege iudices per prouincias, pagos, & oppida deponendi & alios sufficiendi, qui tamen non possunt Regem abdicare, aut alium in Regis abdicati locum surrogare. Minor verò manifestè falsa est, nam iudices de quibus hic agit Paulus, meri fuerunt arbitri dati litibus componendis: Neque enim plebs potest spretis aut exauctoratis magistratibus regijs, alios sibi legere ad libitum. Hoc si fecissent Corinthij fuissent rei Maiestatis: Neque Ethnicus cum Christiano litigans, vnquam potuisset adduci vt se sisteret coram eiusmodi tribunali. Ipse Bellarminus cap. 21. in Barkl. fatetur hos Iudices non habuisse vim coactiuam, id est, non potuisse plectere capite, aut damnare carcere, aut multas pecunias irrogare, quibus sublatis, sententia iudicis mere est arbitraria, quippe cuius executio pendet a voluntate litigantium. Quod si Bellarminus vult, eosdem Christianos qui poterant creare nouos iudices, potuisse quoq; creare nouos Imperatores, necessarium est vt quales poterant eligere Iudices, tales quoque eligerent Imperatores. At per Bellarmini confessionem Iudices tunc lecti a Christianis non habebant vim coactivam, Ergo Imperatores quos eligissent non habuissent vim coactiuam, ac proinde non fuissent Imperatores.

At (inquit Bellarminus) arbitri eliguntur a personis litigantibus, hi vero constituebantur au-

ctoritate

ctoritate publica multitudinis. Idque probat Pauli Apostoli verbis sed a se confictis. *Vos congregati in vnum constituite vobis Iudices.* Hæc inquam verba cōmentus est Bellarminus; nuspiam enim extant, ne quidē in versione vulgata, vt mirum sit vnde illa Bellarminus hauserit.

Frustra vero contendit Paulum ibi agere de vero Iudicio; nam quis negat arbitros vere esse Iudices? Nec magis est ad rem quod asserit debuisse litigantes parere sententiæ istorum judicum, hoc quidem nemo nescit. Sed si quis noluisset acquiescere latæ ab eis sententiæ, nulla fuisset pœna ciuilis in eum constituta. Ratio vero Apostoli est multo potentior, si hic per judices intelligantur meri arbitri, Nam si iudicaturi sumus Angelos cum auctoritate, cur non poterimus judicare de rebus terrenis iudicio arbitrario?

Quod si Apostolus dat Corinthijs potestatem destituendi Iudices ab Imperatore constitutos, & alios sufficere, det nobis Bellarminus testem qui id a Corinthijs aut ab alijs Christianis factum testetur, & proferat aliquid ex veteri illa memoria, quo pateat fideles vsos esse potestate illa quam ait ab Apostolo Corinthijs concessam. Nunquam faciet. Nam quo pacto id posset, qui capite 3. in Barklaium fatetur per annos a Christo septingentos summum esse ea de re silentium: Atqui audi quam mollem & languidam excusationem obtendat. *Pontifices* (inquit) *& scriptores Ecclesiæ prioris temporis, vt non affirmarunt ita & non negarunt esse in Apostolica sede potestatem aliquam disponendi de temporalibus.* At certe si Epis-

copus

copus Romanus prisco illo æuo habuisset hanc potestatem disponendi de regnis & Imperijs, extitisset tamen aliquis qui causas attulisset cur data sibi a Christo potestate abstineret, aut qui se iure suo prohiberi quereretur. Nec defuissent Christiani qui ad Episcopum Romanum confugissent implorantes eius opem, & alium sibi dari ab eo Imperatorem postularent minus grauem Ecclesiæ aut saniorem in fide. Nec credibile est datam esse a Christo Episcopis Romanis potestatem quæ per tot sæcula esset inutilis. Aut tunc primũ Pontifices cœpisse intelligere sensum verborum Christi quando facti sunt opulenti: Aut Ecclesiæ causam a veteribus Episcopis Romanis esse proditam, cum Ecclesia maximé premeretur iugo sæuissimorum Tyrannorum.

XVI Idem Cardinalis lib. 5. de Pontifice cap. 7. & in Barklaium cap. 20 sic argumentatur. *Cap. XVII. Deuteronomii prohibetur populus eligere regẽ qui non sit de fratribus, id est, non Iudæum, ne videlicet pertrahat Iudæos in Idololatriam, ergo etiam Christiani prohibentur eligere Regem non Christianum.* Respondeo nihil hoc facere ad quæstionem præsentem, in qua non quæritur, qualis Rex sit eligendus, sed an liceat in regem legitimum quem vel genus & hæreditaria successio vel etiam electio dederit, rebellare Papa auctore, sub obtentu hæreseos vel tarditatis ingenij, vel tyrannidis, vel violatorum priuilegiorum monasterij. Addit igitur Bellarminus, *eiusdem periculi esse eligere non Christianum & non deponere non Christianum. Ergo tenentur Christiani non pati super se Regem*

gem non Christianum si ille conetur avertere populum a fide.

Prius quam respondeo lector monendus est hanc obiectionem si quid habet virium tantum valere in Regem non Christianum aut idololatram, non vero in tardos ingenio, aut Tyrannos, aut minuentes priuilegia Monasteriorum. Est quoque notandum hanc obiectionem eo quidem pertinere vt Populo liceat rebellare in Principem non Christianum, at non tribuere Pontifici potestatem Reges loco mouendi & exauthorandi; Neque enim si populo fas rebellare certis de causis, idcirco ad rebellandum authoritas Papæ expectanda est. Nam si mulieri non licet eligere sibi virum hæreticum, non tamen inde sequitur Papam posse soluere matrimonium orthodoxæ cum hæretico. Ita nec si Christiani debent sibi eligere Regem hæreticum, sequitur Papam posse liberare fideles subiectione regis infidelis. Ad argumentum vero dico, enthymema esse cuius maior suppressa est data opera a Bellarmino, ne eius falsitas appareat. Hæc enim est integra ratiocinatio.

Quæcunq; sunt pariter periculosa sunt pariter illicita.

At eligere Regem non Christianum, & ferre regem non Christianum pariter sunt periculosa.

Ergo hæc pariter sunt illicita.

Maior falsa est: multa enim sunt pariter noxia & periculosa, quorum tamen alterum fit licite, alterum illicite. Vt si venenum propinetur ab

homine inſcio, non minus eſt periculoſum quam ſi a ſciente, in vno tamen ſcelus eſt, in altero caſus ſine culpa. Et vt vtar exemplo quo Bellarminus ipſe vtitur. In muliere peccatum eſt grauiſſimum adiungere ſe viro hæretico: cum vero habet virum hæreticum omnino ferendus eſt, nec tantum licitum eſt cum eo viuere, ſed & neceſſarium: & tamen vtrobique idem eſt periculum. Quod enim addit Bellarminus non licere fideli cum infideli perſeuerare falſiſſimũ eſt, & contra Apoſtolũ 1. Cor. cap. 7. verſ. 12. & 13. *Si quis frater habet vxorem infidelem, & ea conſentit habitare cum eo, ne relinquat eam, &c.*

Cum autem addit Bellarminus, *Sicut nunquam licet adire periculũ ſalutis æternæ amittendæ, ita nunquam licet perſeuerare in ſimili periculo, modo poſſit illud vitari,* opinor eum loqui de vitando hoc periculo via honeſta & legitima: non enim adhibenda ſunt illicita remedia, nec periculis per ſcelera occurrendum eſt. At rebellionem & perfidiam in Regem nego eſſe legitimum remedium ad vitandum periculum. Idcirco Bellarminus videns ſuam cauſam hic labaſcere, ſtatum quæſtionis callide immutat, ſic loquens ibidem: *Diſputamus de eo qui ſtudioſe adit periculum, & ſtudioſe in eo perſeuerat.* At certe non hic agitur de eo qui vltro in periculo perſeuerat, ſed qui cum videat periculum, non videt tamen legitimam viam occurrendi malo, aut vitandi periculum. Tales ſunt ſubditi fideles ſub Principe legitimo, ſed infideli, quem ſciunt ſe non poſſe ſine ſcelere occidere, aut regno depellere: tales olim Chriſtiani

ſub

ſub Imperatoribus Ethnicis, quos quidem dum religioſe cauent attingere ſuorum Principum vitam aut coronam, non eſt credibile lætatos hoc malo, aut vltro in periculo perſeuerare voluiſſe.

XVII Idem Cardinalis in Barklaium cap. 17. ſic argumentatur. *Habuiſſe Apoſtolos poteſtatem aliquam diſponendi de temporalibus in ordine ad ſpiritualia, vel ex eo conſtat quod ſtatuerunt vt populi Chriſtiani prædicatores Euangelij ex facultatibus ſuis alerent: idq́ue iuſta ordinatione Domini: vt patet in Apoſtolo in priore ad Cor. cap. 9.* Hæc ille. At certe eiuſmodi locorum coaceruatio, eſt confeſſio euidens erroris, oportet enim ſit valde deſtitutus argumentis bonis & accommodatis qui tam infirma & remota conquirat.

Reſpondeo igitur præceptum de ſubueniendo paſtoribus, nihilo plus eſſe præceptum Apoſtolorum, quam præceptum de amando Deo, aut colendis parentibus, Lex enim iſta iam erat ſancita ſub veteri teſtamento, & omnino ex quo fuerunt Paſtores in Eccleſia. Hoc iure viuebant Leuitæ in Dei populo, nec tamen idcirco ſibi vllam poteſtatem vendicabant in temporalia aliarum tribuum. Neque hoc in ſolum Petrum quadrat, ſed & in omnes Paſtores. Quin & pari ratione quotquot ſunt mercenarij, immo & tortores ipſi poſſent ſibi arrogare poteſtatem in regum aut populorum temporalia: poſſunt enim mercedem ſuo labori pactam meritò exigere.

XVIII. Denique ſic argumentatur Bellarminus ex Apoſtolo Paulo cap. 22. in Barklaium. *Cur non poteſt liberari populus fidelis a iugo Regis in-*

fidelis, & pertrahentes ad infidelitatem si coniux fidelis liber est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge Christiana?

Respondeo, 1. Similibus nihil probari. 2. Adde quod, quemadmodum vxor fidelis non tenetur adhærere viro infideli inuito, nec eum sequi si ille prior eam deserat, ita lubens agnosco subditos non teneri adhærere regi, qui vltro se abdicat, & subditos suos deserit regno renuncians: nec aliud ne fidiculis quidem ex hoc loco expresseris. 3. Quid, quod hoc simile nobis clare adiudicat victoriam? Paulus enim ait diserte. *Si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, ne deserat eum. Et nos ergo dicamus. Si quis populus habet Regem infidelem, & hic consentit regnare in eos, non deserat suum Regem, nec ab eo deficiat.* Hæc certe dici κατὰ πόδα, & insistendo vestigijs Apostoli nemo non videt. 4. Quo magis miror Bellarmini vel indiligentiam, vel potius audaciam, affingentis Apostolo contrarium sensum, & ex his eius verbis colligentis, *in matrimonio contracto inter infideles cum alter eorum conuertitur ad fidem fidelem liberum esse a cohibitatione & a iugo coniugis infidelis.* O quam multæ mulieres Ethnicæ ficte transiuissent ad fidem Christianam, vt hoc pacto a iugo asperioris aut senioris mariti liberarentur. 5. Denique separationem istam viri ab vxore Apostolus non dicit fieri debere authoritate Romani Pontificis. Proferat enim Bellarminus ex tota antiquitate aliquem qui sedem Romanam adierit ad obtinendum diplo-

ma

ma ἀποστολή ab vxore infideli. Quod si Paulus separationem istam vxoris a viro relinquit in vxoris voluntate, nec vult a Petro aut eius successoribus peti permissionem, qua fronte audet Bellarminus hoc loco abuti ad probandum penes Papam esse soluere subditos a Regum legitimorum Imperio & vinculo fidelitatis iuireiurando firmatæ?

XIX Rationibus ductîs ex scriptura Bellarminus addit aliquot exempla ex veteri testamento, capite 37. in Barklaium, *Si* (inquit) *ob lepram corporalem poterat Sacerdos olim Regem iudicare & regno priuare, quare id non poterit nunc ob lepram spiritualem, id est, propter hæresim &c. At qui Sacerdos olim priuauit Regem Osiam regno ob lepram corporalem vt docetur 2. Paralip. cap 26. Ergo, &c.*

Mira sane horum hominum solertia, quæ vel in scabie & lepra iuuenit præsidia Papalis potentiæ. Sed ad rem: Dico minorem huius argumenti esse falsam, neque enim Osias Regno vnquam priuatus fuit. Nam capite 15. libri secundi Regum, commate 2. disertè dicitur Osias, qui & Azarias, orsus regnum suum anno ætatis decimo sexto, & regnasse annos quinquaginta duos: vixit ergo annos sexaginta octo, & regnauit vsque ad mortem. Percussus lepra ob vsurpatum sacerdotium, vixit in seducto, vitans hominum frequentiam. Inter hæc Iotham eius filius *gubernauit palatium*, vt habet vulgata versio, vt vero Pagninus, *fuit præfectus pratorio*: Regis vero titulum nisi mortuo parte nunquam vsurpauit, & mortuo demum parte regnum capescit. Nam versibus 32.

& 33. tunc dicitur *cœpisse* regnare, nec regnauisse vltra annos sexdecim. Cumque iudice Bellarmino, excommunicatio debeat præcedere depositionem Regis, non legitur Osias excommunicatus. Nec dubium quin filius gesserit Reipublicæ curam patre sic volente: fuisset enim scelus, patrem punire per filium: nec filius, vir apprime pius & sanctus, tantum in se facinus admisisset vt viuo & vidente patre & frustra obtestante, imperium eius inuaderet. Ipse Bellarminus fatetur Osiæ relictum nomen & titulum regis vsque ad mortem cum tamen Regi diris Papalibus confesso, Papa nolit nomen Regis relinquere. Neque vero retinuit Osias nomen Regis sine re, Scriptura enim dicit eum non modo regem fuisse, sed & regnasse annos quinquaginta duos. Nec fuit Osias damnatus a Sacerdote ob crimen, sed iudicatus ob lepram, iuxta legem Leuit 13. Neque vt reus, sed vt æger; Nam leprosos excidisse rerum suarum dominio nuspiam legitur: cumque ante & post Osiam fuerint alij Reges legitimi longe deteriores Osia, nunquam tamen Pontifices eos Regno aut vito priuarunt; Iosephi quidem hæc sunt verba: * χρόνον μὲν τινα διῆγεν ἔξω τῆς πόλεως, ἰδιώτην ἀποζῶν βίον. Sed non est cum Dei verbi cōparanda Iosephi auctoritas, qui & eodem capite multa infercit fabulosa: neque necesse est per βίον ἰδιώτην intelligere vitam priuatam sine regia potestate, sed vitam * κατ' ἰδίαν, & seductam a turba, vt fit in morbo contagioso.

Antiq. lib. 9. cap. 11. Aliquandiu vixit extra ciuitatem priuatam vitam viuens.

Priuatim actam.

Libro in Bark. c. 38.

XX Alterum exemplum Bellarminus affert ex libro 2. Paralip. cap. 23. *Vbi* (inquit) *narratur*

Athaliam

Athaliam reginam fauentem Idolatriæ a Ioiada Pontifice regno & vita fuisse priuatam, & Ioas Regem in eius locum institutum. Eodem exemplo pugnant Sanderus, Becanus, & alij, vtunturque hoc argumento ad probandum idem licere Pontifici Romano, quod licuit Ioiadæ: at Ioiada Athaliã regno depulit, & iussit occidi: sæua sane in miseros reges sententia, si quidẽ Papæ iussu possunt capite plecti, & non secus ac vilissima sontium capita ad supplicium produci. Prô Dei atq; hominũ fidẽ! Hæccine impune dici & ab ipsis regibus probari?

Sed vt veniã ad Athaliam, dico ego hoc exemplum alienum esse a presenti quæstione: hic enim agimus de depositione Regũ legitimorũ, non vero de eiectione tyranni, qui alienũ regnũ per vim occupat, populo non probante, & legitimo hærede superstite. Talis Athalia, quæ excisa stirpe regia, vno puerulo excepto, post occupatum regnũ, non aliter regno quam leæna prædæ, incubabat. Adde quod omnibus nota erat Dei volũtas Deu. 17. alienigenam vetabat regnare in Dei populum; Athalia autem erat filia Amri regis Samariæ 2. Paral. 22. vers. 2. Adde quod Deus sanxerat & 1. Reg.
per Prophetas sæpe declarauerat se velle Regnũ 11. 36.
Iudæorum proprium esse domui Dauidis: Regnabat ergo Athalia contra disertum Dei mandatum. Maximé cum præsto esset Ioas puer de Dauidis prosapia, quem e latebra extractum simulac vidit populus omnino debuit suum regem agnoscere. Sed nec Ioiada Athaliam authoritate Pontificali deposuit aut iussit occidi, neque enim vlla super hac re est instituta cognitio aut la-

ta ſententia, ſed clam facta militum manu, centuriones & milites in verba regis legitimi adegit, & ducem ſe præbuit conſpirationi in fœminā quæ vel a priuato poterat iuſte occidi. Neque id ab eo factum vt a Pontifice, cuius non eſt ducere armatam manū ſed vt a viro optimate, qui idcirco dicitur præcipiſſe militibus quid & quomodo eſſent facturi, quia in coniuratione, omnes conſcij expectant imperia ducis coniurationis. Neque vero ſi Ioiada inunxit Ioas in regem, idcirco ei regnum dedit: non ſecus ac ſi Præſul aliquis Regem Francorum inungit, non idcirco putandus eſt Rex iſti Præſuli regnum debere, quod quidem debent reges noſtri ſuis maioribus, ſortique naſcendi. Alioqui & Hoſtienſis Epiſcopus dicendus fuiſſet conferre Papatum, quandoquidem ad eum Papæ conſecratio diu pertinuit qui peragit ritum inaugurationis, non facit Regem, ſed conſecrat. Sed neque ſi Ioiada authore, populus templum Baal euertit, & templi Sacerdotem occidit, idcirco Ioiada erat Rege maior, aut habebat ordinariam poteſtatem in vitam Iudæorum & in bona temporalia, nam & idem ab Elia factum legimus, 1. Regum cap. 18. vbi Prophetæ Baal ad torrentem Ciſon, Eliæ iuſſu necantur. Quem tamen ciuilia non attrectaſſe, nec habuiſſe aliquam poteſtatem in Reges Samariæ aut vitam ſubditorrum ſatis conſtat. Multa in Scripturis leguntur facta impulſu diuino, quæ trahi ad exemplum ſine imperitia non poſſent, immo nec ſine ſcelere.

Quam parum autem Bellarminus fidat his exemplis Pontificum veteris teſtamenti, ipſe ſatis docet

docet cap. 15. in Barklaium his verbis. *Non est improbabile in testamento veteri regem absolutè maiorem fuisse Pontifice: tum quia ita docet S. Thomas in lib. 1. de Regimine principum cap. 14. tum quod in veteri testamento promissiones essent temporales* &c. Quo dicto fatetur quoque non esse improbabile regem Ioas fuisse absolute maiorem Pontifice Ioiada, ac proinde se parum probabiliter argumentari, quando Ioiadæ exemplo Paparum authoritatem in caput & fortunas regum conatur astruere.

XXI. Vnum superest exemplum ex veteri testamento allatum a Bellarmino cap. 3. in Barklaium. *Cum* (inquit) *post diuisionem regni Salomonis in Regnum Israelis & Regnum Iuda, inter Reges Israel nullus fuerit pius, sed omnes impij & idololatræ, cur alijs multis toleratis Propheta Domini vnxerit Iehu in Regem, & iusserit vt Regem Ioram cui fidelitatem iurauerat, interficeret, quod ille continuo fecit & laudatus a Deo fuit vt habemus* 4. *Reg.* 9. *&* 10. *Responderet opinor sic placuisse Deo cuius iudicia inscrutabilia sunt.*

Equidem non video quid hoc exemplum faciat ad asserendam Papæ auctoritatem in Regibus creandis aut exauctorandis & occidendis. Hic enim Propheta non erat Pontifex, idque fecit inconsulto summo Pontifice. Quod si quis alius Episcopus vellet reges aut creare, aut destituere, violari iura sua Pontifex conquereretur. Quam verò sit abhorrens a ratione, extraordinariam & miraculosam prophetæ missionem trahere in exemplum: & quia aliquis propheta singulari & in-

usitato

uſitato exemplo aliquid olim fecit, velle Papam Romanum idem poſſe ordinariè nemo non videt. Cur non ergo ſic argumentatur Bellarminus? Elias Propheta ignem de cœlo deduxit, Ergo Papa idem poteſt. Elia vetante toto triennio non pluit, & terra ſitiens alto puluere incanduit. Ergo Papa idem poteſt.

Sed Bellarminus non intellexit quid iſtis verbis *vngere in regem* ſignificetur: quorum ſenſus petendus eſt ex primo Regum, cap. 19. verſibus 15. & 16. vbi iubetur Elias vngere Haſael in regem Syriæ, & Iehu in regem Iſrael. Nemo, opinor, tam eſt rudis hiſtoriæ, vt credat Prophetas aut etiam Pontifices Iudæorum habuiſſe ius ordinarium creandi aut deſtituendi Reges Syriæ, qui erant Ethnici & inimici Eccleſiæ. Sed iubetur Propheta inungere Haſaelem in regem Syriæ, id eſt, ſignificatione voluntatis diuinæ ad ſpem regni eum erigere, addita aliqua ceremonia quæ verbis adderet pondus, & pignus eſſet miſſionis Prophetæ. Idem de inunctione Iehu dicendum eſt, quem non dubium eſt poſtquam factus eſt compos rerum, noua inauguratione conſtitutum eſſe Regem.

Interim perpendet Lector, quo pertineant verba illa Bellarmini, *Iehu iuſſum eſſe a Propheta vt Regem Ioram cui fidelitatem iurauerat, interficeret: quod ille continuo fecit, & laudatus a Deo fuit.* Nam Cardinalis quaſi aliud agens, hæc inſtillat, & obiter eiuſmodi ſententias inſpergit, quibus cædes regum, vt iure factas laudat; vt regum vitam non tanti eſſe Lectori perſuadeat.

Hæc

Hæc ſunt quæ Bellarminus affert ex Sacra ſcriptura, quæ quia in opere ſuo aduerſus Barklaium nullo ordine proponuntur, & ſæpiùs inculcantur inutili repetitione, viſum eſt ea collecta & ordine digeſta in vnum caput conijcere, & ſub oculos ponere.

CAP. IX.

Argumenta Bellarmini ex ratione ducta diluuntur.



Ellarminus locis Scripturæ contra rationem allatis, attexit quaſdã rationes ſine Scriptura.

1 Capite ſeptimo libri quinti de ſummo Pontifice primo loco ponit hanc argumentationem quæ ſic formatur in ſyllogiſmum.

Omnis ſuperior imperare poteſt inferiori: Atqui poteſtas ſpiritualis ſuperior eſt poteſtate ciuili. Ergo &c.

Reſp. Maior non eſt vniuerſaliter vera: non enim ſuperior poteſt imperare Inferiori in omnibus, ſed in ijs tantum rebus in quibus eſt ſuperior. Non ſi præceptor imperat diſcipulo in ijs quæ pertinent ad eam diſciplinam quam docet, ideo ei poteſt imperare in cæteris, puta in ducenda vxore, in fundo emendo, in adeunda hæreditate, &c. Par infirmitas minoris. Neque enim ſpiritualis poteſtas ſuperior eſt poteſtate ciuili in re de qua agitur, nempe in rebus ciuilibus. Demus tamen vtramque propoſitionem eſſe veram, & poteſta-

tem ſpiritualem imperare ciuili: quid hoc aduerſus nos, aut ad præſentem quæſtionem, in qua non quæritur an illa poteſtas huic imperet, ſed an poſſit eam punire pœnis ciuilibus ſeu temporalibus? Neque enim ſi Paſtor regit Magiſtratum, quatenus Magiſtratus eſt Chriſtianus, idcirco exemptus eſt ſubiectione Magiſtratus, quatenus Magiſtratus eſt: Dum paſcit Principem vt Paſtor, eſt tamen ſubditus qua ciuis. Sic Princips diſcens ab equiſone artem frangendi equum in gyros, debet quidem obſequi docenti in rebus quæ ad eam artem pertinent: Idem tamen imperat equiſoni in cæteris. Sic Rex æger ſubditus eſt medicorum voluntati, non quidem vt Rex, ſed vt æger: at quatenus Rex imperat medicis, non quidem vt medicis, ſed vt ciuibus, & ſubditis. Par ratio Regis & Paſtoris.

Id vero quod infercit Bellarminus, poteſtatem ſpiritualem & temporalem eſſe partes eiuſdem Reipublicæ, additum eſt ad fatigandum lectorem & offundendas tenebras, nihil enim facit ad rem, ſiue hæc ſint partes eiuſdem Reipublicæ, ſiue ſint diuerſæ Reſpublicæ. Nam ex diuerſitate partium non colligitur vtra alteri imperet. Nec ſi altera alteram regit vna in re puta in rebus ſacris, idcirco regit in omnibus. Errat tamen Bellarminus cùm dicit poteſtatem ſpiritualem & ciuilem partes eſſe Reipublicæ. Non enim munera ipſa ſunt partes reipublicæ, ſed homines. Cui lapſui ſi ignoſceremus, non tamen idcirco verum eſſet, politiam & Eccleſiam partes eſſe diſtinctas Reipublicæ. Sic enim Eccleſia non eſſet de politia nec Reſ-

publica

publica politica eſſet de Eccleſia. Dicendum potius vnum & idem regnum ſeu Rempublicam vocari Eccleſiam quatenus conſtat Chriſtianis, Regnum vero aut Rempublicam qua conſtat ciuibus. Nunc vero vt res ſunt ſub Romano imperio Papali, ſub quo per Eccleſiam ſoli clerici vulgò intelliguntur, certum eſt Eccleſiaſticos diuerſam plane Rempublicam conſtituere in aliena Republica, quippe qui alium agnoſcunt Monarcham quam Regem, habentque ſuos Iudices ſeorſum, ſuos carceres: nec tenentur legum ciuilium ſubiectione, nec ſolutione tributorum.

II. Hanc primam ſuam rationem nutantem Bellarminus ſuffulcit alijs ratiunculis: hoc modo

Vt ſubordinantur fines, ita ſubordinantur facultates, vt ait Ariſtoteles Eth. 1. cap. 1.

At finis temporalis ſubordinatur fini ſpirituali.

Ergo & facultas temporalis ſubordinatur ſpirituali.

Reſp. Maior quidem vera eſt, etſi Ariſtotelis locus falſo citatur. Sed Syllogiſmus peccat fallacia quæ vulgo vocatur Ignoratio Elenchi: Concluſio enim nihil facit ad rem præſentem, neque ſententiam noſtram impugnat. Et quanquam falſa eſt, poteſt tamen ſine periculo concedi. Demus enim facultatem regalem, id eſt ſcientiam regnandi, ſubordinari ſcientiæ paſcendi & regendi Eccleſiam, an inde fiet paſtores poſſe multare principes principatu aut uita? Sic Ariſtoteles primo poſteriorum cap. 7. dicit Opticam ſubordinari Geometriæ; an ideo Geometra poterit Opticum expellere domo, aut multare exilio? An ſi ars arte ſuperior eſt, idcirco homo homine?

An

An quia ars Pharmacopolarum ſubordinatur arti Medicorum, idcirco Medicus ius habet in fortunas aut vitam Pharmacopolarum? Apage tam putidam ſubtilitatem. Sciat quoque Bellarminus aliter ſubordinari poteſtatem poteſtati, aliter facultatem facultati. Poteſtas ſubordinatur poteſtati, quando ſuperior inferiorem includit: Sic poteſtas Iudicum ordinariorum aut delegatorum includitur in poteſtate regia, eoque illi ſubordinatur. At facultas ſubordinatur facultati quando ſcientia aliqua ſic mutuatur ab altera ſua principia: vt quæ ſunt concluſiones in ſuperiori ſcientia ſint principia ſeu propoſitiones in inferiori: Exempli gratia, Medicina docet vulnera rotunda eſſe curatu difficillima, quia vulneris labra ægre coeunt: Huius aſſertionis probatio non petenda eſt a Medicina, ſed a Geometria: ideoque hac in re Medicina Geometriæ ſubordinatur. Aut quando alicuius artis finis inſeruit fini alterius artis nobilioris: veluti χαλινοποιητικὴ inſeruit arti equeſtri, & hæc bellicæ. Vnde patet quanta fraude Bellarminus hæc nectat, ex ſubordinatione finium inferens ſubordinationem poteſtatum: cùm tamen hæc toto cœlo diſtent.

Ars cudendi fræna.

Obſeruabit autem Lector quam benigne Bellarminus agat cum Regibus. Libro enim in Barklaium capite 3. docet artem regiam ſubordinari arti Eccleſiaſticæ eo modo quo ars ſculptoria ſubordinatur regiæ. Mirum vero cur non pro ſculptoria dixerit fulloniam, aut ſutoriam. Nouerint ergo Reges quantum interſit inter Pa-

pam

pam & Reges, nempe quantum inter Reges & Sculptores.

Sed & in hoc fruſtra eſt Cardinalis, dum putat artes quæſtuarias ſubordinari facultati regnandi: neq; enim hæ artes petunt ſua principia a ſcientia regnandi, nec finis ſculptoris qua ſculptor eſt, ſalus eſt Reipublicæ aut iſti ſubordinatur. Verum quidem eſt poſſe regem edicere ſculptori ne quid faciat quo ſocietas ciuilis lædatur, aut mores corrumpantur, ſed non id facit quia ars ſit ſubordinata arti, ſed quia homo ſubditus homini. Neq; paret ſculptor regi qua ſculptor, ſed quia ciuis aut ſubditus. Nam antequam ſculptoriam faceret pari ſubiectione tenebatur.

Nec leuius allucinatur Cardinalis, dum ait facultatem temporalem ſubordinari ſpirituali, id eſt ſcientiam regendi populum ſcientiæ regendi Eccleſiam. Sunt enim plurima in ſcientia regnandi, quæ nihil plane habent commune cum facultate ſpirituali, vt Tactica, & Poliorcetica, & pacta a Rege inita cum redemptoribus vectigalium. Immo & ſunt multa quæ Theologus a Politico mutuatur, & in quibus Theologia ſubordinatur Politicæ. Nec deſunt exempla peſſimarum Rerumpublicarum in quibus vera fides obtinet, viciſſim ſemper extiterunt aliquæ Reſpublicæ florentes, quæ pacem & ciuilem juſtitiam coluerunt, inſuper habita religione: quas tamen veras fuiſſe Reſpublicas nemo ambigit. Quod ſi in Rebus publicis Chriſtianis, Finis temporalis, id eſt, pax, & concordia, & leges bonæ & iuſtæ pertinent ad finem ſpiritualem: Ita & viciſſim Dei cultus & pietas

pietas plurimum confert ad finem temporalem, id eſt, ad concordiam ciuium, & publicam tranquillitatem: pax enim & concordia eſt pietatis ſurculus, & actiones ciuiliter honeſtæ ex vero Dei cultu effloreſcunt.

Solet quidem Bellarminus paſſim inculcare poteſtatem ſpiritualem eſſe nobiliorem temporali. Sed hoc aſſerit præter rem. Non enim ſi aliqua facultas, alterâ eſt præſtantior, idcirco neceſſe eſt vt qui nobiliorem artem profitentur imperent profitentibus inferiorem. Nec ſi Medicus eſt dignior aratore aut coquo, idcirco habebit poteſtatem in fortunas, famam, aut caput aratorum aut coquorum. Quin & ſæpe inferiorum artificum honeſtior eſt & lautior conditio. Quid ſplendidius publicanis? quid tenuius philoſopho? Et ciniflonis aut cupedenarij honeſtiora ſunt nomina in aulis quam Grammatici.

III. Addit Bellarminus eodem capite 7. libri 5. de Pontifice. *Reges* (inquit) *& Pontifices, Clerici & Laici non faciunt duas Reſpublicas ſed vnam, id eſt vnam Eccleſiam, ſumus enim omnes vnum corpus. Rom. 12. & 1. Cor. 12. at in omni corpore membra ſunt connexa, & dependentia vnum ab alio, non autem recte aſſeritur ſpiritualia pendere à temporalibus. Ergo temporalia a ſpiritualibus pendent, atque ſubijciuntur.*

Reſp. Hæc argumentatio informis, & incondita, etſi multa habet falſa & ambigua, poteſt tamen ſine periculo concedi. Concluſio enim quæſtionem non attingit, neque enim quæritur an poteſtas temporalis ſit ſubdita ſpirituali, ſed an ſit

ſubdita

ſubdita in temporalibus: & an poteſtas ſpiritualis poſſit infligere pœnas temporales, puta ademptionem regni, aut fundi, aut pecuniæ, aut vitæ. Quod nos pernegamus, Bellarminus vero non probat. Hic ergo peccat rurſus ignoratione Elenchi.

IV. Eodem vitio laborat argumentum ſequens. *Si* (inquit) *temporalis adminiſtratio impedit ſpirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum adminiſtrandi, etiam cum detrimento temporalis boni, Ergo ſignum eſt ſubiectam eſſe temporalem poteſtatem ſpirituali.*

Reſp. Hæc ratio, quæſtionem non attingit, nam de ſubiectione hic non quæritur, ſed de genere pœnarum. Sane ſi Reges in Deum grauiter peccauerint, paſtorum eſt eos monere ſedulô, quin & arcere ſacra communione vt Theodoſium Ambroſius, quanquam id non niſi in grauiſſimis criminibus & publicis, idque ſemper ſeruato honore & reuerentia ac fide quam ſubditus debet legitimo Principi. Vt quiſque paſtorum vitijs principis minime adblandietur, ita maxime erit fidus & obſequens, & alijs ad eandem fidelitatem præibit exemplo: Seruabitque temperamentum inter proiectam adulationem, & cerebroſam impudentiam. Non erit canis mutus, ſed nec bellua indomita, quam neceſſe ſit compeſcere vel vinculis, vel gladio.

V. Pugnat Bellarminus alio argumento, hoc modo, *Reſpublica Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta & ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem. Tales enim ſunt omnes Reſpublicæ bene inſtitutæ. Ergo debet ha-*

bere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum, ſed neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem poteſtas vtendi & diſponendi de temporalibus rebus, quia alioqui poſſent mali Principes impune fouere hæreticos, & euertere religionem, igitur & hanc poteſtatem habet.

Reſp. Hæc quidem ratio non modo infirma eſt; ſed & impia: Arguit enim imperfectionis Eccleſiam veterem cui hæc poteſtas defuit. Cumque Bellarminus cap. 15. in Barklaium dicat non eſſe improbabile in Teſtamento veteri regē abſolute maiorem fuiſſe Pontifice, ac proinde Pontificem non habuiſſe poteſtatem Regis exauctorandi, eiuſque ſententiæ Thomam laudet authorem, inde ſequitur probabile eſſe Bellarmino Eccleſiam veteris Teſtamenti non fuiſſe perfectam nec bene inſtitutam. Adde quod reges poſſunt detorquere in Papas idem argumentum, dicendo ſuam poteſtatem fore imperfectam ſi eis deeſſent vires diſponedi de ſpiritualibus, & coercendi improbam malorum Paſtorum libidinem: quibus alioqui impune liceret eſſe ſceleratis, cuiuſmodi homines, ſedes Romana plurimos habuit, fatente ipſo Baronio, plurima monſtra ſedem Romanam inſediſſe. Perfectio Eccleſiæ conſtat, non robore, & poteſtate in temporalia, ſed puritate doctrinæ, & integritate morum, atque diſciplinæ: non ſecus ac perfectio Philoſophiæ conſtat certitudine & perſpicuitate ac textura demonſtrationum, non vero præſidijs aut armis quibus contra ſentientes male multentur, aut obturbantes cohibeantur. Deus qui nunquam Eccleſiam ſuam hæreticorum

Ad annum 912. Art. 8

reticorum veneno passus est totam penitus infici, idem quoque efficiet ne tyrannorum violentia aboleatur, nec deseret gregem tanto pretio redemptum, quem qui tangit, tangit pupillam oculi sui. Abunde cauit Deus Ecclesiæ suæ firmitati addito Christo defensore & duce, & appositis Angelis custodibus. Ipse Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 6. dicit persecutionibus Ecclesiam non modo non destrui, sed & illustrari. Quod si ad perfectionem Ecclesiæ necesse est vt Pastores possint disponere de regno & fortunis & vita tyrannorum, dicam quoque ad eandem perfectionem necesse esse vt iidem Pastores possint debellare Satanam, & in Tartara mergere, & peccata omnia funditus abolere, in quibus certe plus est necessitatis quam in regnis dandis & eripiendis, Sunt enim Satanæ assultus longe periculosiores sæuitia tyrannorum. Denique quamcunque necessitatem obtendas, nihil vnquam tam erit necessarium quam Deo obsequi qui disertè iubet obedientiam erga Principes & fidem; vt docebitur capite vndecimo. Nulla vnquam potest esse necessitas peccandi aut peierandi, aut aliena iniustè rapiendi.

VI. Vrget Bellarminus hoc modo. *Potest qualibet Respublica, quia perfecta & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri Reipublicæ non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, immo etiam deponere eius principem, & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius iniurijs. Ergo multo magis poterit spiritualis Respublica imperare temporali Reipublicæ sibi subiectæ, & eam cogere*

gere ad mutandam administrationem, & deponere principes, atque alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.

Resp. Respondeo non mirum esse, quando opponuntur arma temporalia armis temporalibus, si Rex victus suis temporalibus excidat, at cum tyrannidi temporali opponuntur arma spiritualia, non possunt nec debent eadem effecta consequi, regis nempe regnique euersio. Addo, Bellarminum fingere quæ nunquam fuerunt, nec erunt, videlicet vt altera Respublica ad suas res tuendas cogatur Regem vicini regni deponere, & alium sufficere: nam Respublica quæ hoc potest eadem quoque facilitate inuadet regnum vicinum, & sibi subijciet, nec potest hic esse fructus victoriæ, vt victus cogatur alium sibi Regem eligere Accedit quod si Respublica aliqua, aliquid a vicina Republica postulet, & passa repulsam, infesta arma ostentet, aut bellum indicat, non hoc vocatur imperare (vt loquitur Bellarminus) sed precibus minas addere adhibendo πειθανάγκην, quod faciunt qui postulant minitabundi. Deniq; si Papa hoc exemplo tuetur suam potestatem dandi & eripiendi regna, certum est eadem quoq, ratione confici Papam posse per vim rapere aliena, & in regnum alienum infesta arma mouere, quod certe non est Pastoris, sed Bellatoris, aut imperatoris. Immo & eadem ratione possunt Reges sibi tribuere potestatem abdicandorum pastorum, quando non possunt aliter se defendere ab eorum iniurijs.

VII. *Præterea* (inquit Bellarminus) *tolerare*

Regem

Regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad ſuam ſectam, eſt exponere religionem euidentiſſimo periculo. Idque probat exemplis Imperatorum hæreticorum, nec non Regum qui noſtra memoria ſua regna traxerunt ad defectionem ab Eccleſia Romana; Cui obiectioni iam abunde ſatisfactum eſt. Verum quidem eſt quod paulo poſt ſubdit Cardinalis, eſſe de iure diuino ſeruare veram fidem & religionem: At non eſt de iure diuino perfide agere, aut patrare parricidia, & ſub zeli erga religionem titulo omnia ſuſque deque inuertere. Non ſunt facienda mala vt eueniant bona. *Supra ad Argum.*

VIII. Pergit Bellarminus. *Quando* (inquit) *Reges & Principes ad Eccleſiam veniunt vt Chriſtiani fiant, recipiuntur cum pacto expreſſo vel tacito, vt ſceptra ſua ſubijciant Chriſto, & polliceantur ſe Chriſti fidem ſeruaturos & defenſuros, etiam ſub pœna regni perdendi: ergo quando fiunt hæretici, aut religioni obſunt, poſſunt ab Eccleſia iudicari, & etiam deponi a principatu,* &c.

Reſp. Hic vero erat Cardinalis non vno modo. Nam primo falſum eſt, Reges ſub hac pactione in Eccleſiam admitti. Neque credibile eſt Clodoueum qui fidem Chriſtianam princeps in regiam familiam intulit, cum iam ante per annos quindecim regnaſſet, ea lege & conditione factum eſſe Chriſtianum vt regno priuaretur ſi a fide deſciſceret. Quod ſi quis Rex veteri memoria a paganiſmo ad fidem conuerſus, promiſit ſe Religionem Chriſtianam defenſurum, non idcirco jurauit in verba Papæ Romani cuius in Gallia ſub

primis Regibus nulla erat authoritas, sic nec Britanniæ Reges primitus se ad Christianismum aggregarunt vt subessent in temporalibus Romano Pontifici: immo nec in spiritualibus, sed soli Christo. Quapropter si tunc Ecclesia Anglicana habuisset potestatem regnum abrogandi regibus hæreticis, nihil tamen hoc ad Papam Romanum pertinuisset. Fateor quidem cum Bellarmino, regem infestum fidei Christianæ dignum esse qui regnum amittat, nec esse idoneum Sacramento baptismi qui non est paratus Christo seruire: At abdicationem illam debere fieri judicio Ecclesiæ, aut Papæ, id vero pernegamus, neque scriptura dicit, neque prisca Ecclesia vnquam sibi hoc ius vendicauit, aut cum deessent vires se suo iure fraudari vnquam conquesta est. Cum vera Princeps inauguratur in hæc verba. *Tunc ego regnum aut vitam amittam si Ecclesiam fefellero, aut deseruero*, His verbis vindictam Dei in caput suum imprecatur, non vero Ecclesiam aut Papam in suum caput armat. Quod si quis ad regnum admitteretur sub tali pacto expresso, vt regno caderet si fidem desereret, hanc potestatem in suum regnum aut caput vellet esse in manu optimatum aut ordinum regni, eorumne qui eum ad regnum vocarunt, non vero in manu Pontificis, qui Reges quos non creauit non potest deponere, nec eripere quæ non dedit, nec super hac re vllam a Deo potestatem accepit. Et profecto nihil esset tam vietum & fluxum quam regum potestas, si esset penes Papam, conficto (vt solet) ob res minimas hæreseos crimine Reges diris percussos deijcere

deijcere rerum culmine. Tum certe Regibus tutissimum esset nihil scire in religione, ne hæreseos possent arcessi. Debent ergo plurimum Pontifici, qui ne quid in religione scirent cauit sedulò.

IX. Ex illo, *Pasce oues meas*, ducit tria argumenta. Quorum primum est

Lupi sunt hæretici,
Pastor potest arcere Lupos:
Ergo Pastor potest arcere hæreticos.

Vnde infert si Princeps ex oue fiat lupus, id est ex Christiano hæreticus, Pastorem posse eum abigere, ac proinde priuare dominio in subditos.

Resp. Huius Syllogismi quanquam maior non est vniuersaliter vera, potest tamen sine periculo totus Syllogismus admitti, Nec negamus Pastorem posse arcere sacris Principem hæreticum in fidei fundamentis, aut insigniter sceleratum, & impenitentem, Ac inde sequi eum posse priuare Regem dominio, hoc vero pernegamus, neque Bellarminus vnquam probauit. Nec si faceret, tamen hoc magis ad Episcopum Romanum, quam ad Antiochenum aliosque Petri & Apostolorum successores pertineret.

X. Alterum argumentum ex eodem loco ductum tale est.

Potest pastor arietes furiosos destruentes ouile separare & recludere:
Princeps autem Catholicus fide, sed adeo malus vt obsit religioni, est aries furiosus.
Ergo poterit pastor Ecclesiæ eum recludere vel redigere in ordinem ouium.

Resp. Stilus barbarus, ratio incondita, ter-

mini quinque. Conclusio extra quæstionem. In maiori *Pastor*, sumitur proprie, in conclusione figurate, eademque ambiguitas in voce *Arietis*. Nititur autem hic Syllogismus totus falsa suppositione, quæ talis est. *Quæcunque potest pastor ouium in grege, eadem potest pastor animarum in Ecclesia*. Hoc principium falsum est. 1. Nam pastor ouium potest arietem vincire aut abigere, aut etiam necare: quia emit, & quia idem qui gregi addidit arietem ductorem, potest adimere. At Papa non emit Reges, nec habet eos sibi nexu aut mancipio addictos, nec eos addidit ductores populo, nec habet in eos vitæ & necis potestatem. Iam antequam dominationis papalis nomen Galliæ innotuisset, habebat Gallia suos Reges, vt mirum sit vnde Reges facti sint arietes huius noui Pastoris, qui eos potest includere, abigere, necare. 2. Hoc quoque addendum, non mirum esse si Pastor corporeus infligat pœnas corporeas, at vt Pastor spiritualis (qualem se Papa perhibet) puniat pœnis corporeis res est abhorrens ab omni ratione. 3. Dico tertio pastorem proprie dictũ nullatenus esse subditum arieti, nec de iure, nec de facto, at Episcopos Romanos de facto diu subditos fuisse Imperatoribus & Regibus, etiam Christianis, Bellarminus non negat. Nec inuenietur pastor ouium qui se indignum seruum arietis profiteatur, qualem se Gregorius I. nominat, scribens ad Mauritium Imperatorem, vt docebitur plenius capite 4. Quid quod in Papas potest retorqueri hoc argumentum quos monstra & belluas Baronius ipse & Platina, & alij Pontificij frequenter appellant?

appellant? tunc ergo includendi aut abigendi ab ijs quibus Deus omnem animam, ac proinde Episcopos voluit esse subditos. 5. Obseruabit quoque Lector hanc obiectionem perinde esse accommodatam ad probandum Papam posse Reges occidere, ac ad probandum posse eum Reges solio detrahere, Pastor enim in arietem vtrumque potest.

XI Tertia eius ratio ex eodem loco ducta sic formatur.

Omnis Princeps tenetur Deo seruire.

At Pastor potest cogere Principem ad id omne quod tenetur.

Ergo, Pastor potest cogere Principem Deo seruire.

Resp. 1 Negamus assumptionem. Princeps enim, non secus ac subditi, ad multa tenetur ad quæ non potest cogi ab vllo homine, veluti ad amandum Deum toto corde, & Proximum tanquam se, & fidem locandam in Christo. 2 Immo nec si Bellarmino totum Syllogismum concederemus, haberet tamen quod intendit, nam ipse addit paulo post Principem debere cogi per commodas rationes, inter quas nego esse abdicationem Regis, aut instigationem subditorum in suum regem legitimum.

XII Capite quinto in Barklaium Bellarminus hæc habet: *Cum dicimus ex Pontificum sententia regum terrenorum potestatem esse a Deo, non intelligimus esse a Deo immediatè, quomodo est a Deo potestas summi Pontificis, sed esse a Deo quia Deus voluit esse in genere humano politicum regimen, & ideo*

ideo instinctum quendam naturalem dedit hominibus, vt eligant Magistratus a quibus regantur. Addit ibidem. *Deus non dedit Immediaté regnum huic aut illi, sed dicitur potestas regum esse a Deo, quia Deus voluit inter homines esse potestatem politicam.*

Resp. Hæc a Cardinali dicuntur ad eleuandã & minuendam Regum dignitatem. Sed hæ nebulæ nullo negotio difflantur. Cum enim dicimus Reges a Deo immediate esse non sic intelligimus, quasi Deus de Cœlo immediate detonuerit & cœlesti oraculo hunc aut illum regem pronuntiauerit. Hoc sensu ne quidem Romanum Pontificem esse a Deo nec Bellarminus ipse affirmauerit: tota enim electio suffragijs hominum transigitur, qui suam vocem alicui precio addixerunt. Si tamen Bellarminus contendit ad electionem huius aut illius, mentes Cardinalium diuino spiritu afflari, Deumque tantis discordijs & anxiæ disciplinæ, venalibusque suffragijs interesse, & efficere vt horsum aut illorsum inclinent, cur non nobis quoque fas erit dicere regum inaugurationem fieri Deo auspice & ductore? maximè cum regum Christianorum alios natura ipsa, ac proinde Deus dederit, alios ἐξ ἰδιωτικῶν σπαργάνων euehat ad regnum optimatum electio? idque multo maiori grauitate & integritate quam electio Pontificum?

Ex priuatis cunabulis.

Quisquis ergo vult scire quo sensu Reges dicantur esse immediate a Deo sic habeat, id dici quia Deus in verbo claré & disertè iubet nos esse obsequentes regibus, vnde fit vt eorum authoritas non humana opinione nitatur, sed authorite diuina,

uina, Tum quia perfidia & violatio iusiurandi & parricidium sic vetantur in Dei verbo, vt ab hac lege nulla lex humana possit nos eximere. Rex igitur quantumuis electus mediantibus hominibus, tamen vt semel in eius verba iuratum est, Deum habet immediate suæ potestatis assertorem. Vbi obiter fraus Bellarmini notanda, dum de regibus eligendis loquitur, non enim quæstio est de electione regis, quem satis constat non immediate a Deo eligi; sed de authoritate & potestate Regis quem iam habeas. Neque vero quia instinctus datus est hominibus ad eligendos sibi magistratus, idcirco sequitur magistratus esse a deo mediaté: nam pari ratione paterna authoritas, aut vinculum coniugale non essent a Deo immediatè, quia ad colendos parentes & ad coniugale vinculum homines feruntur propensione naturali. Immo vero cum ad hunc instinctum non facti, sed nati, non instituti sed imbuti simus, certum est Magistratus authoritatem Deum vnum habere authorem. Quod vt palam faceret, primos suæ Ecclesiæ Reges Saulem & Dauidem oraculo suo & cælesti electione voluit consecrari: quibus adde si vis Regem Iehu vnnctum a Propheta extraordinaria vnctione: vnde & Reges dicebantur Vncti Domini, quippe Deo auctore & auspice inaugurati. Frustra obtenditur Saulem sorte ad regnum vocatum, Nam vt ait perapposite Rex in sua præfatione. *Si electio per sortes non est, immediate a Deo, ergo nec Matthias, qui eodem modo ad Apostolatum promotus est a Deo immediate electus est, ex quo sequitur & illum qui sedem* Act. 1.

dem Apostolicam occupat, sine rubore non ausurum se immediate a Deo constitutum prædicare: cum & Matthias ipse in locum Iudæ suffectus, & Apostolis annumeratus, non immediaté sit electus. Hæc & plura alia in eam sententiam Rex sapientissimus, quibus demonstrat eiusdem esse impietatis negare Saulem a Deo immediate esse lectum, & negare Matthiam a Deo immediate esse allectum Apostolis; Est enim insignis super hac re Salomonis sententia Prouerbiorum 16. *Sortes mittuntur in gremium, euentus autem est á Domino.*

Quod si ad eligendos Reges, Deus vtitur hominum opera non idcirco minor est regũ authoritas: non secus ac si quid Rex per fecialem aut accensum denuntiat non minus dicitur esse a Rege, quam si Rex ipse coram proloqueretur. Ac profecto nihil est hoc dogmate pestilentius, nec vlla capitalior doctrina quam hæc quæ ad id vnum est comparata, vt de animis populorum euellatur reuerentia erga Reges & religiosus metus. Tolle enim hanc opinionem Regum sceptra esse a Deo immediate, simul & funditus sustuleris omne obsequium & fidem subditorum, & per hoc pacem in rebus humanis atque concordiam. Sed interest Pontificis despicatam habere regiam potestatem, quandoquidem ex eius ruinis Pontificia dignitas extruitur.

XIII Placet sibi Bellarminus in hoc simili quo Ecclesiasticam authoritatem comparat spiritui, temporalem vero carni. Vnde colligit temporalem potestatem debere gubernari a spirituali, id est (vt ipse intelligit) a Papa. Egregia sane proba-

probatio. *Spiritus imperat carni, ergo Papa Regibus.* Carnis vero nomine non intelligit corpus, ſed facultatem animalem & non regeneratam, per ſpiritum vero animum regeneratum Dei ſpiritu,quẽ Paulus ſolet vocare nouum hominem.

Reſp. Hoc quidem ſimile haberet aliquem colorem,ſi quemadmodum ſpiritus ſeu nouus homo ſemper pronus eſt ad bona, & nihil niſi iuſta ſuggerit, ita poteſtas Eccleſiaſtica, nunquam iuberet praua & nulla corruptione inquinaretur. At non deſunt exempla in eadem Republica optimorum Regum & peſſimorum Epiſcoporum,ita penes Reges ſpiritus, penes Epiſcopos eſſet caro. Quocirca multi Reges ſæpe politiam ſpiritualem nutantem ſuſtentarunt,aut perturbatam ordinauerunt, aut vitiatam emendauerunt: vt Dauid, Ioſaphat, Ezechias, Ioſias. Nam in homne fideli, caro nunquam regit ſpiritum, etſi ſæpe obturbat. At in Republica poteſtas temporalis ſæpe gubernauit ſpiritualem, non tantum in temporalibus vt ſemper, ſed in ſpiritualibus vt ſæpe. 2. Quid quod hoc ſimile petit iugulum Bellarmini, nam quemadmodum cum caro deliquit, ſpiritus carnem non occidit, nec aliam in eius locum ſufficit, ita nec ſi Rex peccauerit poteſt Paſtor alium Regem loco eius ſtatuere, aut regnum transferre, aut de Regis capite vel dignitate decernere. 3 Denique pars iſta Christiani quæ ſpiritus ſeu nouus homo nuncupatur, additur a Deo carni vt rector & dominus, ideoque nunquam in hac vita eſt ſine carne, vt pote ad id vnum datus vt carnem regat. At poteſtas ſpiritualis ſæpe non habet Magiſtra-

tus

tus temporales quos regat vt tempore Apoſtolorum, & ſub veteri Eccleſia, & tamen erat vera poteſtas ſpiritualis. Denique dici non poteſt quantum claudicet hoc ſimile, Quæ vitia ſi abeſſent, notum eſt tamen ſimilibus nihil probari.

XIV Capite 27. in Barklaium ſic diſputat. *Cum Papa iudicat Regem vel etiam deponit, nihil agit contra ius diuinum, quoniam ſuperior inferiorem iudicat, Paſtor ouem, Pater filium, Præpoſitus ſubditum.*

Reſp. Multa hic petuntur, & precario ſupponuntur. Primo Papam eſſe Paſtorem, Tum eſſe bonum paſtorē. Tum reges ei eſſe ſubditos. Quæ ſunt maxima αἰτήματα, non ſecus ac ſi quis ſupponeret circulum habere angulos. Fac tamen hæc ita ſint. Auſi Reges ſunt ſubditi Papæ vt principi ſpirituali, idcirco poteſt eos exuere dominio temporali? Immo vero cum poteſtas eius ſit meré ſpiritualis, non alias poteſt irrogare pœnas quam ſpirituales.

XV Eodem capite extremo ſic loquitur. *Securus affirmo potuiſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum tempore mortalitatis ſuæ, diſponere de temporalibus omnibus, & Reges ac Principes Regnis Dominijſque priuare, & hanc poteſtatem vicario ſuo ſine dubio conceſſiſſe, vt ea vtatur quando neceſſarium iudicauerit ad ſalutem animarum.*

Syllogiſmus talis eſt,

Quamcunque poteſtatem habuit Chriſtus tempore mortalitatis ſuæ eam reliquit Vicario ſuo Papæ.

At poteſtatem diſponendi de omnibus temporalibus

poralibus. habuit Chriſtus cum eſſet in terris.

Ergo, &c.

Reſp. Hoc argumentum ſi quas habet vires, non ſolum probat Papam poſſe priuare Reges regno, ſed & vita, vtrumque enim Chriſtus pariter poterat. Sed & inde pariter poſſet confici Papæ datam eſſe a Chriſto poteſtatem ſuſcitandi mortuos, ſanandi ægros, ſedandi tempeſtates. Maiorem igitur huius Syllogiſmi contendimus falſam eſſe ac temerariam. Et contra pertendimus Papam ſi eſſet Vicarius generalis Chriſti in terris, non tamen habiturum omnem poteſtatem quam Chriſtus habuit, ſed eam tantum qua Chriſtus vſus eſt & quam diſerte ſuis Vicariis (ſi qui ſunt) tradiderit. At Chriſtus nunquam vſus eſt hac poteſtate in Reges, vtroque abſtinuit, nempe quia hoc quidem erat poteſtatis ſuæ, ſed non muneris, quippe ad hoc non miſſus: vſque adeo vt in ciuili cauſa ſuper eriſcunda hæreditate vocatus arbiter, adeſſe noluerit: & ſubinde illud inculcaret regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Sed nec hinc excedens cuiquam tradidit hanc poteſtatem, qui in regnis adimendis & dandis vices ſuas obiret. Non ſi quis Regis eſt legatus aut Vicarius, parem habet auctoritatem cum Rege, ſed eam ſolum quam Rex voluerit eum habere & certis limitibus circumſcripſerit. Hic ergo habemus inſigne diſcrimen inter Chriſtum & Papam: Quod Chriſtus dum eſſet in terris vires quidem & poteſtatem habuerit Reges abdicandi, & regno ac vita priuandi, ſed non munus, nec voluntatem

vtendi

vtendi ista potestate. At Papa vires non habens, munus tamen sibi arrogat.

Adhibet Bellarminus hunc colorem: hoc fieri a Papa quando Iudicat necessarium esse ad salutem animarum, quasi vero non fuerit par necessitas, immo maior quando Imperatores Ethnici Ecclesiam ferrent, agerent, discerperent: nec tamen tunc Papæ hac potestate vtebantur. An erat necessarium ad salutem animarum vt regnum Franciæ a Philippo Pulchro ad Imperatorem Germaniæ transferetur? Aut vt Rex Castilliæ Ferdinandus regnum Nauarræ inuaderet authore Iulio II. in fraudem Iohannis Regis Nauarreni? Aut vt Henricus III. Pontifici addictissimus regno Galliæ excideret?

Interea notabit Lector quam non dissimulanter, & sine circuitione Bellarminus hic asserat, *Papam posse disponere de omnibus temporalibus*, id est de omibus fundis, pecunijs, muneribus & dignitatibus ac regnis totius orbis. Quæ quidem ab alijs miseris homuncionibus tantisper possidentur, donec Papæ visum fuerit, his erepta ad alios transferre. Hoc certe est esse absolute dominum & Regem totius mundi.

XVI Capite 21. in Barklaium Bellarminus agnoscit obsequium filiorum erga parentes, & obseruationem iuramenti & voti esse iuris diuini. Asserit tamen Papam in his dispensare, & iuramenti ac voti implendi gratiam facere: eademque potestate Papam soluere subditos sacramēto fidelitatis erga Principes. Id vero quomodo fieri possit, docet exemplo a legibus ciuilibus petito.

Est

Est (inquit) *iuris naturalis a Deo confirmati, & ab Apostolis declarati:* (*ad Ephes.* 6.) *vt filij obediant parentibus & serui Dominis: & tamen filij emancipari, & serui libertate donari possunt, & per hoc fieri potest vt nec illi parentibus, nec isti dominis obedire teneantur.* At Bellarminus hic frustra est: neque enim vnquam emancipantur filij, vt eis liceat, in patrem rebellare, aut alium patrem sibi eligere pulso priori. Non ergo facit hoc exemplum ad prætexendam rebellionem subditorum in Principes. Tum si quis filius aut seruus emancipatur, id fit a proprio patre aut Domino. At Papa subditos emancipat inconsultis Principibus & invitis. Sed tædet tam vana & futilia diutius persequi. Stercus fodit gladio qui cum tam putidis argumentatiunculis diutius confligit.

Cap. X.

Exempla a Bellarmino ex Historiis prolata, partim esse falsa, partim inutilia.



Rofert Bellarminus aliquot exempla ex Historijs, quibus Papæ potestatem in Regibus abdicandis astruere conatur.

Primum exemplum est Ambrosij Mediolanensis Episcopi qui Theodosium Imperatorem excommunicauit propter cædem Thessalonicæ factam, eumque coegit legem ferre, ne sententiæ latæ de cæde aut *I. Exemplum*

 publica-

publicatione bonorum eſſent ratæ ante triginta dies a pronuntiatione ſententiæ. Vnde colligit ab Epiſcopo poſſe iudicari Imperatorem, quod ſi ab Epiſcopo, quanto magis a Papa?

Reſp. Hoc quidem exemplum non bona fide profertur a Cardinali, neque enim Ambroſius coegit Imperatorem hanc ferre legem, ſed Imperator ſuadenti Ambroſio vltro aſſenſus eſt. Quod ſi Theodoſius noluiſſet Ambroſio hac in re obſequi, non erant in manu Ambroſij pœnæ temporales, quibus Theodoſium vel cogeret, vel vlciſceretur. Poſt patratam Theſſalonicæ cædem Imperator Eccleſia abſtinuit, neque ei Ambroſius vllam pœnam niſi ſpiritualem irrogauit. Octauo demum menſe cùm Imperator veniſſet ad Ambroſium poſcens ſolui excōmunicationis vinculum, tantum abfuit vt Ambroſius vel minaretur ſe ſoluturum ſubditos ſacramento fidelitatis, vel ei abrogaturum Imperium, vt vltro ſe ad cædem offerret, ſic loquens, vt refert Theodoretus, *εἰ δὲ εἰς τυραννίδα τὴν βασιλείαν μεθίστησι, δέξομαι ἡ ἀγὼ μεθ' ἡδονῆς τὴν σφαγήν. Si regnum flectit in tyrannidem, en me paratum occidi.* Idem vir ſanctus, cum Ariani, ſic volente Valentiniano, vnam de Baſilicis Mediolanenſis Eccleſiæ vellent occupare, & iam vela ſuſpenderent: obſtitit Ambroſius & plebs catholica, ſed ea modeſtia quæ ſubditos decet, & ſupplicantium verbis. *Rogamus Auguſte, non pugnamus. Non timemus, ſed rogamus.* Denique ſe mactandum potius offerebat Ambroſius quam Baſilicam hæreticis traderet. *Si patrimonium impetitur* (inquit) *inuadite : ſi corpus, occurram. Vultis in*

vincula

vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi. Tantum ergo aberat a multando Valentiniano bonis, aut parte Imperij, vt suis ipse bonis paratus esset cedere, Immo & vita: hæc habes epistola 33. Idem Præsul in Apologia Dauid cap. 10. *Rex vtique erat Dauid, nullis ipse legibus tenebatur: quia liberi sunt Reges a vinculis delictorum: neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus tuti Imperij potestate. Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius. Sed quamuis tutus imperio, deuotione tamen ac fide erat Deo subditus.* Sciebat ergo Ambrosius Reges etsi legi diuinæ subiectos, pœnis tamen ciuilibus non teneri, eosque non habere Iudicem superiorē inter homines qui eos pœnis aut abdicatione coerceat. Nec putauit minorem esse potestatem Theodosij, aut ius deterius quam Dauidis.

Sed mihi videtur Bellarminus hoc exemplo plurimum suæ causæ officere, & peccare in Papæ commoda. Nam Ambrosius non erat Episcopus Romanus. Ausus est tamen stringere censuram Ecclesiasticam in Theodosium inconsulto Romano Episcopo. Qua in re si non peccauit Ambrosius, non dubium est quin idem possit quilibet Episcopus. Quod si fit, non video quid Papa plus habiturus sit quam cæteri Episcopi. Neque sane Papa hodie ferret Episcopum Parisiensem, aut Lugdunensem, qui se inscio aut non iubente Regem excommunicaret, aut Imperio exueret.

Secundum exemplum est Gregorij I. in priuilegio quod concessit Monasterio Suessionum, S. Medardi, quod priuilegium assutum est fini epi- *11 Exemplum*

ſtolarum Gregorij: ſumma priuilegij eſt ne poſſit ob crimen capitale Abbas S. Medardi deponi niſi in Concilio, vbi ſe ſiſtant accuſatores, quorum vnuſquiſque duodecim teſtes ſecum habeat. Si quis Rex contra hæc iuerit, iubetur ſua dignitate priuari.

Reſp. Hoc priuilegium, aio, non modo eſſe iniuſtum, ſed & falſum & ſuppoſititium. Iniuſtitia patet, quia aduerſatur Apoſtoli præcepto. 1. Tim. 5. 19. vetantis admittere accuſationem aduerſus presbyterum, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Si ergo fuerint duo aut tres teſtes, poteſt admitti accuſatio, & facti cognitio inſtitui. Quod ſi quis non poteſt accuſari niſi ſub duodecim teſtibus præter accuſatores, vix vnquam poterit in eum vlla moueri quæſtio, aut in eius mores inquiri: cum pauciſſima crimina fiant ſub oculis tot teſtium, & ſæpe qui viderunt, nolint teſtes adeſſe iudicio. Neque video cur hi Abbates fruantur hoc priuilegio, alij vero non fruantur. Sed de huius priuilegij ſeu potius prauilegij iniuſtitia pluribus actum eſt cap. 7.

Idem priuilegium falſum eſſe & ementitum multa euincunt. Ibi enim poſſeſſiones & villæ vocantur *manſi*. Ibidem fundi dominij regij appellantur *fiſci regij*. Et Sanctus Medardus vocatur *Dominus Medardus*. Denique tota oratio redolet ſtilum Capitularium Caroli aut Ludouici, magiſque accedit ad Francicam barbariem poſterioris æui quam ad Italicam venam. Quid quod iſti priuilegio ſubſcribunt Alexandrinus & Carthaginenſis Epiſcopi, quibus non credibile eſt Abbatiam

am Suessionum ne de nomiue quidem notam fuisse ? An Patriarcha Alexandrinus emensus est tot maria, vt Romam veniret & priuilegium S. Medardi subsignaret ? At saltem delatus ei fuisset hic honos, vt inter primos subscriberet, non vero in turba, & post vulgus Italorum Episcoporum. Vltimus omnium subscribit Rex Theodoricus, tunc apprime puer, nondum habens tunc temporis Suessiones sub sua ditione. Sed nec annus quadrat, nec annotatio temporis : quæ talis est, *Datum VII Cal. Iunij, Anno ab incarnatione Domini* 593. *Indictione XI.* falsa omnia, nam annus Christi 593. erat indictio decima : neque tunc temporis mos adhuc inoleuerat numerandi per æram Christi, Neq; Epistolæ Gregorij per æram Christi vnquam notantur, sed per indictiones.

Maxime vero arguunt falsitatem istius priuilegij, verba illa fastuosa quibus Gregorius sibi in Reges & regna potestatem arrogat, quasi in manu eius esset reges spoliare imperio. Nihil enim tam alienum fuit a mente Gregorij & forma qua solet Imperatores in suis epistolis alloqui, Nam in Epistola 6. lib. 3. sic affatur Mauritium. *Ego autem indignus pietatis tuæ seruus.* Et paulo post *Ego vero hæc Dominis meis loquens, quid sum nisi puluis & vermis ?* Ipse serenissimus Rex in Apologia pro iuramento fidelitatis citat Gregorium sic loquentem Mauritio, super lege quadam, ne reciperetur miles in Monasterium nondum expleta militia. Vbi postquam se indignum famulum pietatis Imperatoriæ appellauit, tandem hæc subdit. *Ego quidem iussioni subiectus, eandem legem per diuersas*

terrarum partes transmitti feci. Et quia lex ipsa omnipotenti Domino minime concordet, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nunciaui. Vtrobiq; ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi minime tacui. Hæc habentur Epistola 61. libri secundi.

III. *Exemplum* Succedit Gregorius II. qui (si fides Bellarmino, Leoni Imperatori Iconomacho se excommunicato prohibuit vectigalia solui ab Italis, ac proinde eum Imperij parte multauit.

Resp. Hoc exemplum si verum est, nihil tamen ad rem facit. Cum enim hæc prohibitio vectigalium contigerit anno circiter 726. a Christo: parum est auctoritatis in exemplo. Iam enim fluxerant septem sæcula a Christo nato, iam multa ab Imperatoribus erant facta improbè & in Ecclesiam iniustè: neque tamen tale quid vnquam fuerat tentatum ab Episcopis Romanis, nec tot retro seculis ausi fuerant violare iura Imperatorum, aut auertere vectigalia. Sed cum vires Imperatorum in Occidente essent fractæ, in Oriente a Sarracenis attritæ, Italiam vero totam Longobardi excepto Exarchatu Rauennæ & Ducatu Romano occuparent, & Imperatores Sarracenico bello impliciti Italiam quasi pro derelicto haberent, Papis aucta est libertas sub debilibus dominis ; ijdemque rerum secundarum allabente æstu subuecti, cum quærerent occasionem rebellandi, ecce opportunè sese obtulit controuersia super imaginibus, quo colore vsus Gregorius, populos ad defectionem ab Imperatore sollicitauit, Quæ artes illi tam prosperè cesserunt vt Romam

&

& Italiæ partem ad ſe traxerit, & ex Epiſcopo factus ſit Princeps temporalis, teſte Sigonio his verbis. *Ita Roma Romanuſque Ducatus a Græcis ad Romanum Pontificem, propter nefandam eorum hæreſim impietatemque peruenit.* Nouum ſane genus cenſuræ Paſtoralis, irruptio in bona aliena, & ereptio alieni dominij. Non ſecus ac ſi presbyter in penitentiam peccati, eriperet pallium, aut ſecaret crumenam peccatori, Eleuant ergo auctoritatem huius exempli, fructus & opes quæ ad Papam hoc facto peruenerunt. At ſi Imperatorum in Italia fuiſſent vires integræ, Papa non modo non fuiſſet incentor rebellionis, ſed & imagines euertiſſet, iubente Auguſto, ſecutus exemplum Gregorij I. qui legem quam ipſe cenſebat iniuſtam, promulgauit tamen, vt Imperatori morem gereret, & ſe indignum Imperatoris ſeruum, ac puluerem & vermiculum (vt ante Gregorius) appellaſſet.

Hic tamen apprime notandum, Papam non prohibuiſſe vectigalia ſolui vt Iudicem, aut vt habentem poteſtatem in Imperatorem, ſed vt ſuaſorem facti & inſtigatorem. Nulla enim ſuper hac re pronuntiata eſt ſententia, aut inſtituta cognitio. Vis non facit ius: nec ſi quis facem præfert rebellioni, dicendus eſt id facere vt judex, aut vt dominus, legitimam habens poteſtatem aliena rapiendi. Quod ſi Gregorius II. vi iſtius poteſtatis quam Papa ſibi in Reges arrogat, ſententiam condemnationis tuliſſet in Leonem, non modo eum Italiæ vectigalibus, ſed & toto imperio ſpoliaſſet. Non enim Leo magis erat Tyrannus in

Italia quam in Græcia, aut Asia, vbi in Iconolatras asperius sæuiebat. Et profecto, quanquam nostro tempore Papæ vires sunt longe maiores quam tempore Gregorij II. si tamen Regi nostro vellet adimere solam Picardiam aut Occitaniam, reliquum vero regnum ei per Papalem indulgentiam concederet, se regibus & populis ridendum sine dubio propinaret. Nec tamen ideo Gregorius post hanc rebellionem desijt se Imperatoris subditum agnoscere & profiteri. Nam Gregorius III. successor huius Gregorij Leonem suum Dominum agnoscit, & suis Epistolis annum Imperij Dominorum suorum adnotat. Extant eius duæ Epistolæ ad Bonifacium insertæ secundo tomo Conciliorum, quorum hæc est clausula, *Data 10. Cal. Decembris. Imperante Domino pijssimo Augusto Leone a Deo coronato, magno Imperatore, anno decimo Imperij eius* &c. His similia habet sequens Epistola.

IIII. Exemplum

Subijcit Bellarminus exemplum Zachariæ Pontificis, qui rogatus a primoribus Franciæ Childericum deposuit, & in eius locum Pipinum Caroli Magni patrem creari iussit.

Resp. Respondeo non magni esse momenti sitne hoc exemplum verum an falsum. Plus enim potest Dei verbum, Christique ac Apostolorum exempla, totiusque veteris Ecclesiæ per septingentos annos consensus, quam quæ a Pontificibus cœpta sunt nouissimis sæculis. Dico tamen hoc exemplum non fideliter a Bellarmino proferri. Nam antequam Pipinus, Papa suadente, regis nomen sumeret, iam re ipsa Rex erat, penesque eum

erat

erat totius regni poteſtas. Eſt enim conſtans hiſtoricorum teſtimonium, Merouingios quorum Childericus vltimus fuit tunc temporis nomine tenus Reges fuiſſe. Aimoinus lib. 4. cap. 61. ait *Nomen tantum Regis, ſed nullam poteſtatem Regiam habuiſſe.* Abbas Vrſpergenſis in Chronico ad Annum 753. *Hildericus vero qui falſo Regis nomine fungebatur, tonſo capite in Monaſterium miſſus.* Eadem habent Sigebertus Abbas Stadenſis, Eginardus, & alij. Facile ergo fuit Pipino regis nomen laruæ vmbratili eripere, & nomen ſumere cum rem poſſideret. Titulũ autẽ Regis aſſumpſit, non quidem eligente Papa, ſed eligentibus Francis, Childerici vecordiam pertæſis, Papa vero ſuadente, non autem jubente. Teſtis Ado Viennẽſis iſt i ſeculo proximus. *Franci* (inquit) *per conſilium legatorum & Zachariæ Pontificis, electum Pipinum ſibi regem conſtituunt.* Trithemius in compendio Annalium. *Hildericus Rex Francorum tanquam inutilis regno, de vnanimi omnium procerum conſenſu, Zacharia quoque Papa Romano præſtante conſilium, a regno deiicitur.* Eadem habet Gotfridus Viterbienſis Chron. part. 17. Guaguinus in Pipino. *Per Ricardum Archiepiſcopum Bituricenſem & Furaldum preſbyterum domeſticum & familiarem requiſiuit conſilium Papæ Zachariæ. Vter regum aptior eſſet ad gubernandam Rempublicam,* &c. Hoc vero conſilium petebatur a Pipino magis dicis cauſa quam quod ita opus eſſe crederet, ſed ad pellendum Childericum vel leuiculus color quærebatur. Cum enim in Gallia ſumma inoleuiſſet barbaries, & Epiſcopi plerique eſſent milites & duces

duces copiarum, judicesque rerum ciuilium, nec vlla esset in Gallijs Academia, nulla Theologiæ facultas, aut cœtus Doctorum, facile Pontifex Romanus præ cæteris eminebat, maximè cum post recens occupatum Ducatum Romæ, non parum creuissent eius opes, & per opes auctoritas. At si Papa iussisset Pipinum, aut aliquem alium Regem amatum a suis regno cedere, exceptus fuisset Francorum risu, nec expertus fuisset eos obsequentiores quam cum multis post sæculis Bonifacius Phillippum Pulchrum, & Iulius II. Ludouicum XII. regno exuere conati sunt.

V. Exemplum Profert quoque Bellarminus capite 4. libri in Barklaium exemplum Adriani primi, quem asserit, Carolo magno dignitatem Patriciatus contulisse.

Quicunque nouit quæ fuerit tunc dignitas Patricij, nunquam credet hanc dignitatem a Papa dari potuisse. Patriciorum sub Imperatoribus Græcis summa fuit dignitas. Hi Augusto erant a consilijs, dicebanturque Patres Imperatoris& per hanc dignitatem patria potestate exigebantur, vt ait Iustinianus lib. 1. Institutionum Titulo 12. *Ex constitutione nostra summa Patritiatus dignitas. Illico Imperialibus codicillis præstitis filium a patria potestate liberat.* Idem habes in Authenticis Collat. 6. Tit. 10. Cui honori non absimilis est in Gallia dignitas Parium, in Hispania Magnatum seu Grandium. Hic honor non poterat deferri a quoquam nisi ab ipso Imperatore. Qui enim Patricijs alligebatur, eum Imperatoria celsitudo sibi in Patrem eligebat, vt habetur eodem Titulo.

An

An potuit Papa dare inuito Imperatori hominem qui ei esset a Consilijs, aut eius pater diceretur? Nam si hoc potuit, cur non etiam nunc eligit Pares Galliæ aut Equites Periscelidis Britanniæ? Maximè cum Reges Galliæ hodie Papis cedant, at Imperatores Romani tunc haberent Papas sibi subditos? Aut ergo historia illa falsa est, aut (quod pötius crediderim) Patricij nomen, iam adulta inter Italos barbarie significationem perdiderat: Et per Patricium Romanum patronus aut defensor Vrbis & rei Romanæ intelligebatur. Sub quo titulo Ricimer ante annos trecentos, Imperium occidentale administrauerat. Cum enim Roma parum sibi præsidij esse aduersus Longobardos in Imperatore esse experiretur, Caroli Francorũ Regis patrocinium sibi asciuit. Nec tantum eum voluit sibi protectorem: sed & ius eligendi Pontificem, & Ecclesiam ordinandi ei concessit; vt testatur Sigonius lib. 5. de Regno Italiæ. *Itaque* (inquit) *vniuerso procerum consentiente conuentu, decretum vt Carolus Patricius Romanus esset, per singulas prouincias Archiepiscopos & Episcopos institueret, ita vt nisi ab eo laudarentur & instituerentur a nemine sacrarentur. Et vt Pontificem eligeret, sedemque Apostolicam ordinaret.* Eadem habeo Can. Adrianus dist. 63. *Adrianus autem Papa cum vniuersa Synodo tradiderunt Carolo ius & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoque Patriciatus ei contulit.* Et Otto. Frisingensis lib. 1. cap. 28. *Carolus acclamante populo vniuerso Patricius Romanorum appellatur.* Vbi vides dignitatem istam non à Papa solo,
sed

ſed a Synodo & Populo eſſe collatam. Et Patricij dignitatem non fuiſſe Patriciatum Imperij Romani, ſed electum fuiſſe Patricium Romanorum, id eſt, vrbis Romanæ, vt dignitas iſta tantum ad tutelam vrbis extenderetur.

VI. Exemplum Succedit Leo III. quem Bellarminus ait Imperium a Græcis ad Latinos tranſtuliſſe. Ex eo ait Imperatorem Germanorum teneri præſtare juramentum fidelitatis Papæ.

Ioculare ſane commentum, & mira fingendi audacia. Nam quid eſt Imperium transferre ab vno in alterum, niſi ereptum vni, dare alteri? An ergo Leo papa exuit Irenem aut Nicephorum, Carolo συγχρόνυς, imperio, aut imperij titulo? Fabulæ. Dicet fortaſſe Bellarminus, non quidem ereptum eſſe Imperatori Græco, Imperium Orientis, ſed Occidentis: Sed neque hoc verum eſt, nam Imperatores Græci pridē amiſerant Imperium Occidentale. Non potuit ergo ipſis eripi quod non habebant. Quod ſi Papa fecit Carolum Imperatorem peto an dederit ei Imperium ipſum, an titulum Imperatoris? Imperium certe non dedit, nam ex eo Carolus nihilo factus eſt ditior, nec teruntio vno locupletior, nec per id vlla vrbs aut prouincia in poteſtatem eius conceſſit. Reſtat ergo vt Leo merum titulū Imperatoris Carolo detulerit. Nempe poſt tam multas pugnas depugnatas, poſt tot labores exantlatos, poſt ſubactam Germaniam, Pannoniam, Italiam, & Hiſpaniæ partem, facile fuit eum vocare Imperatorem qui iam in manu ſua haberet vires Imperij. Sic ſi noſter Rex hodie ſubigeret Hiſpanias, & a Tole-

tano

tano Præſule Rex Hiſpaniæ proclamaretur, non idcirco titulum illum deberet Toletano Archiepiſcopo, ſed ſuæ virtuti. Quanquam & falſum eſt titulum illum a Papa delatum eſſe Carolo. Sed cùm Romanum imperium in Occidente pro derelicto haberetur Romani proceres & populus titulum Imperatoris Carolo obtulerunt, quem vel eis inuitis capere potuiſſet. Sigebertus, ad annum 801. *Romani vno omnium conſenſu, Carolo regi Imperatorias laudes acclamant, eumq; per manus Leonis Papæ coronant Cæſarem & Auguſtum appellant.* Marianus Scotus lib 3. Chron. *Carolus hoc tempore a Romanis Auguſtus appellatus eſt.* Et Platina a Leone II. Carolum ait inauguratum populi Romani ſcito & precibus. Sigonius libro quarto. *Carolo Imparatorius titulus a populo confirmatus eſt* Onuphrius. *Senatus Populiqne ſuffragio Carolus Magnus Imperator & Auguſtus appellatur.* Quod ſi Carolus Papæ debuiſſet Imperium, non dubium eſt quin illico pedibus eius aduolutus obedientiam & fidelitatem ei iuraſſet, quod tantũ abeſt vt factum ſit, vt Carolus ipſe fuerit a Leone adoratus Adon author illi æuo proximus, *Perfectis laudibus a Pontifice more principum antiquorum adoratus eſt.* Paulus Petauius vir clariſſimus, in ſuprema curia Pariſienſi Senator præfixit Chronico Euſebij, Hieronymi & Sigeberti, tractatum eruditum de Epocha incarnationis, in quo citat hiſtoricum ſic loquentem. *Cum facta oratione Carolus ſurgeret, Leo Papa coronam capiti impoſuit, & a cuncto populo acclamatum eſt, Carolo Auguſto, a Deo coronato, Magno & Pacifico, Imperatori Romanorum*

manorum vita & victoria. & post, ab Apostolico more Romanorum principum adoratus est. Fuitque tam tenuis potestas Papæ in vrbe Roma præsente Carolo, vt non habuerit potestatem vitæ & necis in quenquam, ne quidem in eos qui Papam ipsum verberibus concisum, & lingua naribusque truncatum, indignis modis acceperant. Addit enim Ado. *Hic postquam Romam ingressus Imperatoris & Augusti nomen sumpsit, iussit eos qui Pontificem Leonem tam inhoneste deponendo contumeliauerant sibi exhiberi & quæstione de eis habita lege Romana, vt rei maiestatis capite damnati sunt. Pro quorum tamen vita Pontifex benignissime intercessit: Cuius precibus Imperator eis vitam & membra perdonauit, in exilium tamen pro facinoris multitudine pulsi sunt.* Quid quod Ludouicus Caroli magni pronepos Imperium adeptus est Romanorum fauore, inuito Iohanne Papa, qui Imperium ad Ludouicum Balbum Franciæ Regem transferre conabatur, vt testatur Sigebertus ad annum 878. Addit Platina, in hac concertatione, Papam a Romanis captum & in vincula coniectum fuisse. Quocirca Sigebertus, agens de Imperatoribus qui Romæ imperiũ susceperunt, non dicit eos a Papa coronam aut imperium sed benedictionem accepisse: vide annos 882. & 912. & 937. & 963.

Cætera exempla quæ Bellarminus attexit, Gregorij V. & Gregorij VII. &c. petita sunt ex vltimorum sæculorum fece, iam adulta tyrannide, mille & eo amplius annis post Christum: ideoq; indigna sunt quæ memorentur. Nam si exempla hæc falsa sunt non debuerant a Bellarmino proferri

ferri. Si vera, quid aliud quam accuſant veteres Papas vecordiæ, qui gladium iſtum temporalem vnco appenſum paſſi ſunt per tot ſæcula rubigine confici? Donec Gregorius aliquis arreptum ſtrinxit, & rem per tot ſecula inauditã primus aggreſſus eſt? Non enim veteribus Pontificibus defuerunt occaſiones, ſed ius, & voluntas. At Papæ recentiores quotidianis incrementis alleuati, & vſi Principum ignorantia ad res ſuas conſtabiliendas, auſi ſunt tandem, quæ nec credi vnquam nec expectari potuiſſent.

Cap. XI.

Veritas defenditur authoritate ſacræ Scripturæ.



Ac in controuerſia ſi Scripturæ, id eſt Dei, iudicio ſtatur, tam clara eſt veritas, vt Solis radio ſcripta videatur.

I. Plena eſt Scriptura exemplis obſequij exhibiti non modo pijs regibus, ſed & impijs & perſecutoribus. Iſraelitæ in Ægypto parebant Pharaoni, & quanquam Deo miraculis extraordinarijs, quaſi extento brachio eis opem ferente, noluerunt tamen egredi Ægypto niſi Pharaone annuente & permittente.

II. Sic cum Achaz & Manaſſe Reges Iuda Dei cultum euertiſſent, & templum ipſum idolis polluiſſent, non idcirco Pontificum decreto hi 2 Reg. c. 16. & 21.

Reges

Reges pulsi sunt, nec populus ad rebellionem instigatus.

III. Nebucadnezar Iudæam vastauerat, Ierosolyma ceperat, templum & vrbem solo æquauerat, omnia cæde compleuerat, reliquias populi captiuas abduxerat, captiuos ad Idolum adorandum vi cogebat, vt habetur Danielis cap. 3. Nihilominus tamen Ieremias iubet populum ei esse subditum, cap. 27. *Submittite colla vestra iugo regis Babylonij, & seruite ei populoq́; eius*. Et cap. 29. *Quærite pacem eius ciuitatis ad quam ego vos transtuli, & orate Dominum pro eo, quoniam cum pace eius conuincta erit pax vestra.*

IV. Cum esset promulgatum edictum quo Iudæi omnes per totum Imperium iussu regis Assueri trucidari oportebat, promptum erat Mardocheo suadere Reginæ Ester vt Regem tolleret veneno vel gladio: at illis nihil tale in mentem venit, sed potius conuersi sunt ad preces atq; ieiunium.

V. Quid tetrius Domitio Nerone, qui Ecclesiam in ipsis pene cunabulis voluit suffocare? Nihilominus Paulus Apostolus ad Rom. cap 13. com. 5. iubet Christianos *ei esse subditos non tantum ob iram, id est, metu pœnæ, sed & ob conscientiam*. Nempe quia vel malis Principibus obsequentem esse in rebus ciuilibus, pars est pietatis erga Deum, & conscientiæ. Idem Actorum 25. vers. 11. ad Cæsarem vt ad suum legitimum iudicem prouocat. Nec toties fuissent ab eo implorata ciuitatis Romanæ iura nisi se subditum Imperatoris agnouisset, vt Rex obseruat in sua præfatione.

Nec

Nec dubium est quin causa quæ agebatur fuerit cognitionis Cæsaris cũ Paulus tractus esset in ius ob crimẽ confictum motæ seditionis, cap 24. vers. 5. non vero tantum ob controuersiam de religione, vt fingit Bellarminus.

VI. Petrus 1. Epist. cap. 2. *Subiecti estote ciuis humanæ creaturæ propter Dominum, siue Regi tanquam præcellenti, siue præsidibus vt qui per eum mittuntur ad vltionem quidem nocentium, &c.* Mirum sané quod Petrus iusserit Christianos obsequentes esse impio Imperatori. Cur non potius tam fœdam belluam fulmine percussam deiecit Imperio? cur non Imperium transtulit ad meliorem virum? At deerant vires, inquit Bellarminus; Nempe (si huic creditur) Petrus hortatus est Christianos ad obsequium exhibendum Principi infideli, non quod ita sentiret, sed metu adactus: aliter loquuturus si vires adfuissent, ne quis hæc Petri documenta imputet humilitati aut fidelitati, sed necessitati. Hoc certe nescio quid possit dici improbius, aut magis ad sancti huius Apostoli contumeliam: quam malo Regis ipsius verbis quam meis refellere. *Omnino* (inquit) *humilitatis ac patientiæ splendorem illum qui in prima illa & adhuc Oriente Ecclesia, ac præsertim sub persecutionum sæuitia nituit, Bellarminus fœda turpiq; labe maculat, si hæc ingens Martyrij & Christianæ patientiæ gloria, non demissioni animi spontaneæ, sed necessitati ascribatur; quod aut viribus aut animis defecti (instar Iudæorum aut Turcicorum mancipiorum) fortioribus aduersarijs cederent, contra SS. Pauli Petrique præcepta, qui propter conscientiam*

ſubditos eſſe iubent: contra illam etiam Tertulliani pro Chriſtianis Apologiam, & antiquorum patrum apertam profeſſionem & vbiq; repetitam. Sed bene cum illorum temporum Chriſtianis, qui ſub Imperatoribus Ethnicis degebant, actum eſt, quod hæc noua inſolenſq; doctrina nondum emerſerat; Alioqui funditus extirpati ſublatiq;, ne ſuis quidem malis aliquos ingemiſcentes inuenniſſent. Cum periculoſa in Repub. factio atque ſecta iure videri poſſet, quæ vellet parere duntaxat, donec auctis viribus Imperium excutere aut inuadere potuiſſet. Grauiſſima ſane oratio, & cui Bellarminus nihil habuit quod opponeret.

VII Daniel ſic affatur Regem Nebucadnezar cap. 2. com. 37. *Tu Rex Regum es, & Deus cœli regnum, potentiam, robur, & decus tibi dedit.* In eandemque ſententiam Ieremias cap. 27. *Nunc autem tradidi omnes regiones iſtas poteſtati Nabuzadnezar Regis Babilonis ſerui mei.* Concinit Paulus ad Rom. cap. 13. *Non eſt poteſtas niſi a Deo: quæ vero ſunt poteſtates, ordinatæ ſunt a Deo. Itaq; quiſquis reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Quo loco certum eſt Apoſtolum agere de poteſtatibus temporalibus, addit enim, *Non fruſtra gladium geſtat.* Et paulo poſt, *Propter hoc etiam vectigalia ſoluitis.* Conſtat autem nullũ Apoſtolũ tunc temporis geſſiſſe gladium, aut exegiſſe vectigalia. Hæc ergo poteſtas ſi a Deo eſt, non poteſt a Papa auferri. Quod Deus dedit non eſt hominis eripere. Neque refert ſitne hæc poteſtas a Deo immediatè an mediate. Nam Deo quocunq; modo iubenti obſequendum eſt. Si Rex aliquid

per

per internuncium mihi imperat, non minus debeo obſequi quam ſi ipſe coram mihi loqueretur. Veruntamen poteſtatem Regiam a Deo eſſe immediaté abunde docuimus, cap. 9.

VIII. Quid quod ipſe Chriſtus, Mat. 22. prolato denario cui imago Cæſaris erat impreſſa, iubet reddere Cæſari quæ ſunt Cæſaris, eique ſolui vectigal? quin & ipſe ſoluit τὰ δίδραχμα, Mat. 17. quãuis Imperator eſſet Ethnicus, & ipſe eſſet filius Dei, eoq; maior Imperatore. Tantumque abfuit a ſuadenda rebellione, aut concitanda ſeditione, aut ferenda ſententia de regnis adimendis & transferendis, vt delatum arbitrium diuidundæ hereditatulæ recuſauerit. Reſpondet Bellarm. in Barklaium cap 3. *Imperatoris tunc temporis non coegiſſe Iudæos ad Idololatriam.* At iam dixi Nabucadnezar voluiſſe cogere Iudæos ad Idololatriã, cui tamen Ieremias voluit Iudæos eſſe ſubiectos. Idem factum a multis Imperatoribus Romanis & Regibus Perſarum, in quos tamen Chriſtiani nunquam rebellarunt. Bellarminus addit, *Imperatorem tunc nondum fuiſſe depoſitum ab vlla legitima poteſtate.* At quænam iſta erat legitima poteſtas? hic tacet Cardinalis: Eum enim puduit dicere Tiberium potuiſſe a Pontifice Anna aut Caipha deponi, aut Imperio exui.

IX. Habmus & regulam Matthæi 5. & ſæpe alibi, quæ iubet ſeruare iuſiurandum, & vetat periuria. Subditi ergo iuramento obſtricti ad fidele obſequium, omnino debent liberare fidem, nec poſſunt vllius authoritate hoc vinculo exolui. Oportet enim maior ſit Deo qui gratiam facit

obſequendi Deo. Quod ſi Papa fatetur hoc aut illud quidem lege Dei imperari, attamen Deum nolle ſibi in hac re aut illa morem geri, quomodo poterimus ſcire Papam hac in re mentem Dei pernoſſe? & Papæ declarationi potius ſtandum quam mandato legis diuinæ. Quonam pacto Papa nobis fidem faciet id ſibi a Deo reuelatum? Nam ſi Papa aliquem regem odit, quid facilius ei quam fingere ſibi a Deo reuelatum, non eſſe fidem ſeruandam huic regi, nec ibi habendam eſſe rationem legis diuinæ? Non ab ſimili ſcelere inter Canoniſtas diſputatur an ſoluenda ſit pecunia debita excommunicato. Habes in Gloſſa Cauſæ 15. Quæſt. 6. in Canonem *Alius*, præclaram hac de re Canoniſtarum ſententiam. *Probabiliter dici poteſt quod excommunicato non ſit ſoluendum, cum nemo debeat participare cum eo.* Præclara religio. Periculum enim eſt ne ſoluendo quod debes hæreticis, hæretico polluaris afflatu. At debuerat par religio eos inceſſere quando hæretici ijs ſoluunt quod debent aut quando alicuius bona rapiuntur in pœnam hæreſeos.

X. Non leue eſt quod Chriſtus ait *Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*. Ioh. 18. 36. Quæ quidem eſt illa præclara confeſſio quam Paulus 1. Tim. 6. ait factam a Chriſto coram Pilato, quæ quomodo poſſit vſurpari a Papa non video.

XI. Confer autem humilitatem Apoſtolorum, cum Regali ſplendore Pontificis. Illorum pedum cum huius triplici corona. Illos multo labore Prædicantes Euangelium, cum hoc obtinente terrenum Imperium. Illos dura paſſos

ab

ab Imperatoribus, cum hoc premente pedibus ceruicem Imperatoris, & pedis ictu decutiente Imperialem coronam. Illos perdentes res suas, cum hoc inuadente alienas. Christum pendentem tributum imperatori, cum Papa capiente tributum ab Imperatore. Christum lauantem pedes discipulis, cum Papa porrigente pedem osculandum regibus. Christum recusantem arbitrium de diuidunda hæreditacula, cum Papa iudicante de rebus omnibus ciuilibus. Hæc quisquis inter se contulerit, facile comperiet non serio, sed ad maius ludibrium Christi nomen obtendi, & sub specie obeundi vices Christi in terris, Christum conspui. *Reges gentium dominantur eis, & qui obtinent potestatem in eas, benefactores vocantur, vos autem non sic.* Luc. 22. Sed hæc Christi verba iampridem fidem amiserunt. Conferatur Epistolarum Petri simplex & zelo ardens doctrina cum tumore decretalium & Bullarum Papalium, titulos grandes, & terrificas minas crepantium. Ne viuam si nox diei magis est absimilis.

XII. Quid si Papa vicem Christi in terris sustinet, cur ea facit quibus Christus sedulo abstinuit? Aut si Papæ munus latius patet quam officium quod Christus in terris habuit, proferat titulos, & instrumenta istius potestatis; doceat vbi, aut quibus sacræ scripturæ verbis data ei sit ista facultas, & in temporalia potestas. Certe de hac re in scriptura summum silentium.

Cap. XII.

Idem probatur ratione.

I. Rincipio mihi Bellarminus videtur causam suam aperte prodere, dum asserit Papam eadem potestate qua liberat subditos ab obedientia Principum suorum, liberare quoq; filios ab obedientia parentum, & soluere matrimonia rite sociata, & dispensare in votis & juramentis, vt loquuntur Canonistæ. Nimirum vt Reges sciant pari scelere suam dignitatem violari quo paterna authoritas, & fides coniugalis, & jureiurandi religio proculcatur.

Bell lib. in Barlk. cap. 21. Dispensat Pontifex in votis & iuramentis quæ Deus ipse iussit reddi, & quorum solutio est de iure divino.

II. Adde quod nihil tam dedecet judicem spiritualem & Ecclesiasticum, quam insontem punire ob sontis culpam. At nunquam Papa eripuit regnum patri quin id fieret in fraudem filij, aut eius agnatorum. Erat Henricus infans nec paternæ culpæ affinis, quando Innocentius III regnum Iohanni ereptum dedit Philippo Galliæ regi. Quod si Henricus fuisset adultus, & culpa carens, non potuisset tamen Pontifex sine scelere, filium armare in patrem, & culpam patris punire parricidio.

III. Accedunt experimenta. Nam quotiescunque Papa voluit regnum ab vno in alterum transferre, aut frustra fuit, populis flocci facientibus bruta eius fulmina, aut nemine auso rebellare

re in ſuum principem: vt docent exempla Philippi Pulchri, Caroli VI. Ludouici XII. Elizabethæ Reginæ Angliæ: quibus adde Florentinos, qui diras Sixti IV. bello vlti ſunt, vt narrat Volaterranus lib. 5. Gregorij. Ipſe Hildebrandus, qui primus Imperatoribus hanc telam orſus eſt, temeritatis ſuæ pœnas commeritas luit. Mortuus enim eſt Salerni exul, ex animi ægritudine: Cumque ageret animam, aduocauit, (vt refert Sigebertus ad annum 1085.) Cardinalem ſibi præ cæteris charum, *& faſſus eſt Sanctò Petro & toti Eccleſiæ, ſe valde peccaſſe in paſtorali cura, quæ ei ad regendum commiſſa erat, & ſuadente diabolo contra humanũ genus odium & iram concitaſſe; Cum emiſit ſuum confeſſorem ad Imperatorem, & ad totam Eccleſiam vt optaret illi indulgentiam quia finem vitæ ſuæ aſpiciebat.* Hæc Sigebertus aut ſi quando eius fulmina non fuerunt irrita, tot tamen cædes, tot rapinæ, tot euerſiones populorum & vrbium inde ſecutæ ſunt vt Pontifices ipſos facti pœniteret, & totus orbis Chriſtianus ingemiſceret. Eſt enim grauiſſima Auguſtini ſententia lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 2. *Non poteſt eſſe ſalubris multorum correptio, niſi cùm ille corripitur qui non habet ſociam multitudinem.* Non debuit ergo Gregorius VII. Henricum IV. nec Alexander III. Fredericum Oenobarbum excommunicare, quos tot regna, tot exercitus ſequebantur. Falſum enim eſt quod ait Bellarminus in Barkl. c. 9. Gregorium excommunicaſſe Henricum ſolum. Verba enim formulæ anathematis, vt recitatur a Platina, hæc ſunt. *Ipſum Henricum eiuſque fautores*

Anathematis vinculo colligo. Denique quid judicandum ſit de regis Henrici III. abdicatione a Sixto V. horribilis per tot annos Galliæ vaſtitas & deſolatio, tot prælia, tot proditiones, regiſque ipſius parricidium abundè docuit. Ne Henricum V. Imperatorem in patris ſui caput & dignitatem inſtigatum, & patris cadauer a filio indigne habitum, & plurima ejuſmodi portenta potius quam ſcelera conſectemur.

IV. Quid quod Pontifex in hac poteſtate exercenda ſic ſe gerit, vt illis ipſis quibus dat regnum alienum, manifeſtè illudat: & in ipſo beneficio plus ſit contumeliæ? Nam Papa vel dat alicui quæ jam habet: & liberalis eſt titulorum erga eos qui rem ipſam poſſident, vt fecit Pipino, & Carolo magno: eodem plane modo quo qui æris pulſu laboranti Lunæ auxiliantur, volunt credi Eclipſim deſinere artis ſuæ ope, cum id fiat cauſis naturalibus. Vel dat alicui regnum alterius, ſed ea lege vt id armis ſubigat. Quod ſi res non ceſſerit, & qui alienam poſſeſſionem attentat in cladem inciderit, & vel regnum vel vitam amiſerit, non alia huius obſequij erga Papam merces quam pudor, & clades, & æternum opprobrium. Vt accidit Rudolpho Sueuiæ Duci in Henricum IV. rebellanti, & pluribus alijs. Si vero res proſperè ceſſerit (vt Carolo Andegauenſi, qui authore Papa Clemente IV. regnum Mamfredi inualit) tunc Papa vult haberi pro dono, quod qui, debet ſuæ fortitudini, & inuaſor alieni regni ex eo fit Papæ cliens, & feudatarius, & tributo obnoxius. Nam ante Carolum Andegauenſem, Regnum Neapolitanum,

Anno Chr. 1267.

Neapolitanum, non pendebat tributum Pontifici. Durius actum cum Philippo Augusto, cui Innocentius III. dedit Angliæ regnum. Conscripserat Rex ingentes copias, classem maximam instruxerat, iamque instabat dies profectionis, cum Papa misso propere legato vetat Philippum Gallia excedere, & quod ei dederat, eripit: Laboris merces nulla, sumptuum nulla restitutio. Sic nostris Regibus illudebatur. Rem sanè fecerit iustam, qui tali dono auctus a Papa, ei reposuerit par beneficium, eique vicissim dederit dignitatem Abuna Abyssini, aut Caliphæ Babilonij. *Math. Paris.*

V. Est quoque familiare Pontificibus, si in Imperatoris inauguratione præfuerint cærimoniæ, & coronam imposuerint nouo Principi, gloriari se ei Regnum aut Imperium detulisse. Quod si jure sibi arrogat, dicendum est Hostiensem Episcopum dedisse Papatum Episcopo Romano, quia ad eum consecratio & coronatio Papæ diu pertinuit. Aut Episcopos Mediolanenses dedisse Imperatoribus regnum Italiæ, quia coronatio eorum in Reges Italiæ diu fuit muneris Mediolanensis Episcopi.

VI. His adde quod notum est omnibus, & docet sensus communis, neminem posse dare quæ non habet. Quomodo ergo Papa potest dare quæ non sunt sua? An Christo recusante regna ei oblata. Math. 4. vers. 9. Papa conditionem accepit? Sic Bellarminus dicit Hiberniam datam esse Regibus Angliæ a Pontifice; at non dicit quis Hiberniam dederit Pontifici. Bella vero a Regibus Angliæ gesta in ista insula, & fractos tot prælijs

lijs indigenas pro nihilo computat. Mirum vero ni & ipſam Angliam Papa Regibus dono dederit.

VII. Id quoque ſcire velim, ſi Rex innocens Papali fulmine fuerit contactus, regnoque excuſſus, & rex ſibi factam iniuriam conqueratur, quis futurus ſit Iudex in hac diſceptatione? An Papa erit actor & iudex? Et cùm ex Regum abdicatione tantum emolumentum ad Papam perueniat, quippe cùm per id fiat Rex regum, & regna fiant ſua dona, an æquum eſt vt ipſe ſit iudex in ſua cauſa? Maxime cum Bellarminus fateatur Papam poſſe errare in quæſtione facti, ac proinde etiam iniuſtè iudicare, quandoquidem ex factis iura naſcuntur? Quæro ergo an Rex iniuſtè damnatus, poſſit aut debeat opponere ſe iniuſtæ damnationi, & poſſit inuito Papa regnum retinere. Bellarminus negat cap. 31. in Barkl. *Quod autem dicis iniuſtam ſententiam non lædere eum in quem fertur, verum eſt quando is in quem fertur, eam humiliter tolerat & obſeruat, donec iuſtitia vel potius nullitas eius manifeſtè ſe prodat.* Clementer ſane & erga Regem benigne, cui non nocebit iniuſta ſententia abdicationis & excommunicationis dummodo regno patienter cedat & expectet donec inuaſor regni, cognita iniuſtitia ſententiæ, eum reuocet & vltro in auito ſolio collocet, ſic enim bona fide res geruntur inter Principes. Similia habes cap. 17. in Barkl. *Si forte Princeps ſpiritualis abutatur poteſtate ſua iniuſte excommunicando temporalem Principem, vel eius ſubditos ſine iuſta cauſa ab obedientia eius abſoluendo, & eo modo perturbet ſtatum Reip. temporalis:*

poralis : peccabit princeps spiritualis, sed non poterit tamen Princeps temporalis iudicium sibi sumere de temporalibus rebus. Proh Dei atque hominum fidem! Huccine res Regum rediisse, vt durior sit eorum conditio quam seruulorum aut mercenariorum quibus datur actio in dominos, si fuerint pacta mercede fraudati? Nimirum Papa est omni exceptione maior, nec in eum quantumlibet iniuste iudicantem fas est hiscere. At constans semper fuit omnium bonorum sententia; Iniustam sententiam Pastoris non nocere condemnato, & gladium spiritualem mucrone arreptum lædere solum tractantem. Augustinus sermone 16. de verbis Domini. *Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas eum in terra, sed vt iuste alliges vide. Nam iniusta vincula dirumpit iustitia.* Causa 11. Quæst. 3. Can. Cui est. *Si sententia iniusta est tanto curare eam non debet quanto apud Deum & Ecclesiam neminem potest grauare iniqua sententia.* Et Can. *Temerarium, Temerarium iudicium plerunq; nihil nocet ei de quo temere iudicatur, ei autem qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est vt noceat.* Et Canone sequenti. *Quid obest homini quod ex illa tabula vult eum delere humana ignorantia, si de libro viuentium non deleat iniqua conscientia?* Et mox *senti de Augustino quicquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Hæc omnia ex Augustino. Quocirca Ludouicus noster XII. & ante cũ Philippus Pulcher ausi sunt cõtra hoc fulmẽ oppedere, & in ipsum Papã maiori vi retorquere: Vterq; enim effecit vt Papa frequenti Episcoporũ suorũ conuentu hæreticus pronũtiaretur.

VIII. Neque vero video cur ſententia *Nulla* non lædat, at *Iniuſta* lædat, cum ſæpe iniuſtitia ſit nullitate deterior. Nam nullitas naſcitur ex defectu formæ & ordinis legitimi, & ſæpe fit vt ſententia *nulla*, quod ad rem ipſam ſit iuſta & æqua, ſed inualida. At iniuſtitia nunquam eſt ſine ſcelere, nec qualibet formalitate addita poteſt fieri iuſta, quod de ſententia *nulla* dici non poteſt.

IX. Mirum vero cur Papa ſibi plus iuris ſumpſerit in Reges & Principes quã in priuatos. Nam ſi pater male educat liberos, aut ſi dominus in ſeruos ſæuit inclementius, non idcirco Papa iubet eos rebellare in patrem aut dominum. Tum ſi quis e populo peccauerit, non ſolet Paſtor illum exuere patrimonio, aut fundis, aut domo. Dicit quidem Bellarminus cap. 3. in Barklaium, poſſe priuatos homines cogi ab Epiſcopis in foro exteriore,* & multari pœna pecuniaria, vel etiam carceribus mancipari, idque ait ſancitum a Concilio Tridentino Seſſ. 25 cap. 3. Sed hæc ſanctio non nititur authoritate Scripturæ, & ab ipſis Pontificijs exploditur: nec in Gallia obſeruatur. Nec quidquam eſt tam abhorrens ab Apoſtolica illa ſimplicitate quam caſtigatio peccatorum per multas pecuniarias, aut carcerem, aut pignoriſcaptionem. Nec credibile Tridentinos patres voluiſſe hoc decretum in omnes laicos extendi, ſed in eos tantum qui ſubſunt Epiſcopis in temporalibus. Hinc liquet Papam putauiſſe ſuæ eſſe dignitatis præcipue ſæuire in Reges, quia horum caſu poteſtas Papalis in immenſum attollitur, nam hoc pacto coronæ & ſceptra fiunt dona,

* *Conciliiis Lateranenſe ſub Leone X. Seſſione IX multat blaſphemantem mulcta 25 ducatorũ.*

& missilia Pontificis.

X Qualis cuiusque potestas tales pœnæ quas infligit; At Papæ potestas, fatente Bellarmino, spiritualis est, non autem temporalis. Ergo pœnæ quas infligit debent esse spirituales, non vero temporales.

XI. Immo si fingamus Papam esse caput Ecclesiæ, eoque Regibus superiorem, oportet eius potestas sit superior regali in eadem specie potestatis, id est quatenus est caput Ecclesiæ, & Episcoporum princeps, non vero quatenus Dominus rerum temporalium, seu directe seu indirecte. Non si in naui regenda nauclerus plus habet potestatis quam princeps qui vehitur, idcirco principi reliquisque vectoribus in cæteris imperat. Erit ergo Papa superior Principe in rebus Ecclesiasticis, non vero in temporalibus. Nec dissimulat ipse Papa Innocentius III. Cap. *Per venerabilem, Qui filij sunt legitimi*, vbi non modo ait Regem non habere superiorem temporalem, sed ait *Regem non habere superiorem in temporalibus.*

XII. Denique hæc doctrina reddit religionem Christianam Principibus odiosam, quippe quæ per hoc dogma fit incentiuum seditionis, & occasio rebellandi. Tum si Rex Ethnicus fidem Christianam amplectatur, hoc ipsö diminuitur capite, & cogitur agnoscere dominum in temporalibus, & precario tantum, & ad nutum Pontificis imperare, pellendus illico regno si quid contra Papam aut religionem Romanam peccauerit. Perpauci sane erunt Principes qui sub his conditionibus volent se ad Ecclesiam aggregare.

CAP.

Cap. XIII.

Idem probatur testimonijs veteris Ecclesiæ.



Vod si statur testimonio Antiquitatis, quæstio hæc penitus est profligata, vel fatente ipso Bellarmino, qui a Barklaio prouocatus ad iudicium antiquitatis, cum non haberet quo se tueretur, sic declinat iudicium. *Non recte* (inquit) *de Ecclesia Christi sentit qui nihil admittit, nisi quod expresse in veteri Ecclesia scriptum aut factum esse legit, quasi Ecclesia posterioris temporis aut desierit esse Ecclesia, aut facultatem non habeat explicandi & declarandi, CONSTITVENDI etiam & iubendi, quæ ad fidem & mores pertinent.* Quapropter cum in frontem libri sui magnam multitudinem authorum pro se facientium congesserit, antiquissimus tamen eorum est Gregorius VII. qui primus anno Christi 1076. in Imperatorem ferale carmen occinere ausus est. Hæc est illa præclara antiquitas qua nititur Papæ potestas in temporalibus. Habemus ergo hic non modo confitentem reum: sed & conuellentem quæcunque ex Scriptura & Patribus in sua scripta congessit: Nam quid opus est deinceps conquirere loca scripturæ, aut scrutari Patres aut Concilia vetera si sufficit solam authoritatem Romanæ Ecclesiæ posterioris æui obtrudere? aut si ad tuendam Papæ authoritatem, nuperi authores & Papæ mancipia sunt testes idonei?

At

At ſi rem volueris a prima memoria repetere, inuenies veritatem tam claram & perſpicuam, vt vel nolentibus oculos feriat. Eccleſia enim per annos fere trecentos paſſa eſt ſub Imperatoribus Ethnicis decem perſecutiones grauiſſimas, neque tamen vllus Epiſcoporum Chriſtianos ad rebellandum inſtigauit, nec Pontifex Romanus vnquam cogitauit de abrogando Cæſaribus Imperio. De ſumma illa Papæ poteſtate in temporalia, aut de regnorum tranſlatione nulla apud veteres mentio. Neque vero id factum quia deerant vires, vt vult Bellarminus: erat enim tunc temporis maxima pars orbis Chriſtiana. Teſtis Tertullianus Apologetici. cap. 37. *Si* (inquit) *hoſtes externos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipſiq́; Parthi, vel quantæcunq́; vnius tamen loci & ſuorum finium gentes quam totius orbis? Heſterni ſumus & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa.* Et paulo poſt. *Si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus a vobis, ſuffudiſſet vtiq́; dominationem veſtram tot qualicunq́; ciuium amiſſio, immo & ipſa deſtitutione puniſſet. Proculdubio expaueſcetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum; & ſtuporem quemdam quaſi mortuæ vrbis: quæſiſſetis quibus in ea Imperaſſetis.* Similia dicit Cyprianus ad Demetrianum. *Nemo noſtrum quando apprehenditur reluctatur, nec ſe aduerſus iniuſtam violentiam veſtram, quamuis nimius & copioſus ſit populus*

lus vlciſcitur. Sic nec Chriſtiani in Perſide vnquam rebellarunt aduerſus Reges Perſas immaniter ſæuientes. Nec Orthodoxi in Africa aduerſus Reges Vandalos Arianos, Nec quiſquam eorum vnquam mouit quæſtionem, an fides ſit ſeruanda Regi hæretico, aut an Rex a Papa non probatus iure poſſit exigi regno, aut occidi. Conſtantius erat Arianus, in quem tamen Liberius Epiſcopus Romanus nunquam intorſit fulmen, nec aliquem alium imperio induit, ſed iubente Conſtantio, Berocam Thraciæ in exilium conceſſit, obtulit ei Conſtantius in viaticum (vt ait Theodoretus lib. 2. c. 16.) πεντακοσίους ὁλοκοτίνους: quos bonus Papa recuſauit; tanta fuit Epiſcoporum Romanorum illo æuo, tum tenuitas tum innocentia.

Interpres vertit quingentos ſolidos.

Conſtantio ſucceſſit Iulianus, qui nihil intentatum reliquit quo Eccleſiam petſundaret. De quo Baronius ad annum Chriſti 361. Primo ait eum voluiſſe ſibi Chriſtianorum animos conciliare, quippe quorum magnæ vires eſſent. Hic lege ſanxit vt omnes milites ſacrificarent idolis, eiurarentque vel Chriſti fidem, vel cingulum. Sane ſi vnquā licuit religionis cauſa rebellare in Principem, non alia potuit dari cauſa iuſtior quam hæc fuit. Neque vnquam maior fuit facilitas rebellandi, cum totum fermé imperium eſſet Chriſtianum, & eius exercitus maxima ex parte conſtaret militibus Chriſtianis, vt teſtantur Ruffinus lib. 2. cap. 1. Theodoretus lib. 4. cap. 1. Socrates lib. 2. cap. 19. Enimuero perempto Iuliano, exercitus ad Iouianum Principem Chriſtianum detulit imperium. Quod ille cum recuſaret, cauſatus

ſe

se cùm Christianus esset nolle Ethnicis imperare, exercitus frequens vno ore conclamauit. *Et nos Christiani sumus.* Versabatur ergo Iulianus inter manus, inter tela Christianorũ: Sed eũ texit Imperij religio, & sacrũ nomẽ Imperatoris, quod nefas est a subdito attentari. Nempe (vt habet Canon Iulianus, Causa 11. Quæst. 3. ex Ambrosio) *Iulianus Imperator quamuis esset Apostata habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cùm dicebat producite aciẽ cum defensione Reip. obediebant ei: cùm antẽ diceret eis producite arma in Christianos, tũc cognoscebant Imperatorem cœli.* Augustinus in Psalmũ 124. de ijsdẽ militibus Iuliani, hoc ait. *Milites Christiani seruierunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebãt nisi illũ qui in cælo erat. Quãdo volebat vt idola colerẽt, vt thurificarent, præponebant illi Deũ. Quando autẽ dicebat producite aciem ite contra illã gentẽ, statim obtẽperabant. Distinguebãt dominũ æternũ a domino temporali, & tamen subditi erant, propter Dominũ æternũ, etiã domino temporali.* Idem Pater paulo ante dixerat. *Aliquando iniusti perueniunt ad honores sæculi, cum peruenerint & facti fuerint vel iudices, vel reges, quia hoc facit Deus propter disciplinam plebis suæ, propter disciplinam populi sui, non potest fieri nisi vt exhibeatur illis honor debitus potestati.* Nimirum velle de Dei manibus eripere fulmen aut flagellum, & legitimum Regem asperius regantem velle de medio tollere, par est crimen, & non absimilis audacia.

His exemplis adde Valentem Arianum & persecutorem cuius cùm populus, Duces, officialesq; Palatini, maxima ex parte essent Orthodoxi, nun-

quam tamen populi aut próceram religio in ſuperſtitionem ceſſit.

De Ambroſij obſequio erga Valentinianum Arianum abundé diximus cap. 10. quibus adde eiuſdem Ambroſij ſententiam, in oratioue contra Auxentium quæ eſt inter Epiſtolas libri 5. *Volens nunquam ius deſeram, coactus repugnare non noui. Dolere potero, potero flere, potero gemere, aduerſus arma, milites, Gotthos quoq́; lacrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt ſacerdotis. Aliter nec debeo nec poſſum reſiſtere.* Vides Ambroſium non modo non potuiſſe, ſed nec debuiſſe aliter reſiſtere quam precibus & lacrymis, ne Bellarminus dicat Ambroſio vires, ſed non voluntatem defuiſſe.

Sub idem tempus Maximus Tyrannus, fide Orthodoxus in Gratianum, mox & in Valentinianum Imperatorem Arianum arma mouet: Iam ſuperauerat Alpes, iam Valentinianum Galliæ & Britanniæ imperio exuerat, princeps alioqui fortis, & Catholicus. Non tamen idcirco Catholici a Valentiniano defecerunt, aut in eum rebellarunt. Immo vero, Valentinianus a Theodoſio Orthodoxo in Imperium reſtitutus eſt, cæſo ad Aquileam Maximo, quæ res Valentiniano fuit vtilis & ad deponendam hæreſim, & ad recuperandum Imperium.

Inſignis vero eſt locus Gregorij I. citatus a Rege in Apologia Iuramenti ex Epiſt. 1. lib. 7. vbi ſic loquitur. *Si in morte vel Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens, nec regem, nec duces, nec comites haberet: atq́; in ſumma*

confuſione

confusione esset diuisa, sed quia Deum timeo in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. Vides Gregorio fuisse facultatem perdendi regnum Longobardorum Ecclesiæ Romanæ infestum, quo tamen conatu abstinuit, ne Deum offenderet.

Denique in re tam perspicua superflua est diligentia: Nam quæ alia turpior potest inuri macula priscis Episcopis & populo Christiano, quam si credatur obsequium illud delatum principibus fuisse simulatum? & ascribendum non virtuti, sed necessitati? Ergo si quæ extant in eorum scriptis sententiæ, testantes obsequium & reuerentiam erga Principes, putandæ erunt fictæ, & extortæ metu, mentieturque Gregorius I. quando Mauricium non modo appellat Dominum, sed & *Dominum suum*, & fatetur se eius iussioni esse subiectum.

Neq; vero credibile est Christum dedisse Ecclesiæ porestatem quæ per tot sæcula torperet inutilis: quemadmodum si cui darem ensem quem nefas esset nisi post mille annos stringere. Multo minus credibile est tunc primum datam Ecclesiæ Romanæ facultatem vtendi hac potestare quando interciderunt virtutes, finemque probitatis fuisse initium legitimæ potentiæ. Nam iam ante Gregorij VII. tempora, collapsam omnem Romanæ Ecclesiæ disciplinam: & omnia luxu, ambitione, auaritia, ac libidine corrupta testantur historiæ, & Baronius ipse lamentatur.

Quod si olim Pontifici Romano in abdicandis principibus non voluntas sed vires defuerunt, dari posset aliquis Papa qui se hoc iure fraudari conquereretur, aut qui causam diceret cur aduer-

sis Ecclesiæ temporibus abstineret potestate sibi a Christo concessa. Aut extaret aliquod exemplum alicuius qui Papam cunctantem hortatus esset ad stringendum mucronem temporalem, & liberandam Ecclesiam tyrannide.

Cur autem cum Deus misertus Ecclesiæ dedit Imperatores Christianos & bonos, Constantinum, Gratianum, Valentinianos, Theodosios, Romani Pontifices non renouarunt ius illud suum intermortuum? & non cauerunt ne potestas illa regna dandi & Imperatores abdicandi obliuione obliterarertur? Cur non significarunt Imperatoribus clementibus & pijs, se quidem nondum vsos potestate data a Christo, sic poscentibus rebus Ecclesiæ, at nunc rebus aliter constitutis, velle se porro vti suo iure? ne forte veteris Ecclesiæ imbecillitas ipsis esset fraudi, aut consuetudo præscriptionem induceret?

Quod si vires faciunt ius, & hæc non licent nisi cum possunt fieri, cur Papa ausus est Philippo Pulchro regnum abrogare? cur Ludouico XII. Cur Henrico VIII. Regi Angliæ, cur Elizabetæ Reginæ, in quibus amburendis fulmine, Papa vires suas Imbecillas expertus est?

Denique tempus ipsum quo Papa primum ausus est dare regna, & adimere plane euincit captam ab eo occasionem ex attritis Imperij Romani viribus, quibus stantibus & integris, nunquam ausus fuisset concipere animo tantos spiritus. Sed quemadmodum ad casum proceræ arboris concurritur, & sibi quisque quod potest securi amputat, ita de imperio prostrato Papa quod potuit ad

se

ſe traxit, & ſedem ſuam quantum potuit Imperialibus titulis induit, vt poſtea docebitur.

Aduerſus tantum totius vetuſtatis conſenſum Bellarminus vnum Gregorij Nazianzeni locum obtendit, ex oratione περὶς πολιτδυομένους Ναζιανζου ἀγωνιῶντας, vbi Gregorius Magiſtratum ſic alloquitur. ὁ τοῦ Χριστοῦ νόμος ὑποτίθησιν ὑμᾶς τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ καὶ τῷ ἐμῷ βήματι, ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί. προσθήσω δ' ὅτι καὶ τὴν μείζονα καὶ τελειοτέραν ἀρχήν: ἢ δεῖ τὸ πνεῦμα ὑποχωρῆσαι τῇ σαρκί: &c. Reſponſio in promptu eſt, Gregorio quidem principatum ſpiritualem viſum eſſe digniorem principatu temporali, At non idcirco putauit principatum ſpiritualem imperare temporali in temporalibus. Non ſi Theologus dignior eſt milite, idcirco Theologia militiæ imperat. Sed Bellarminus diſſimulat verba Gregorij præcedentia, quæ ſic habent. *Vna eſt* (inquit) *de noſtris legibus optime conſtitutis a ſpiritu, qui poſſibile cum honeſto probauit & lege ſanxit, vt quemadmodum ſerui heris, & vxores viris, vt domina, & diſcipuli paſtoribus & doctoribus, ita & ſubijciamur omnibus poteſtatibus, ſupereminentibus, non tantum ob iram, ſed & ob conſcientiam, quippe* ὑποτελεῖς φόρου *vectigales & tributo obnoxij.* Quid quod vita Gregorij operibus eius præfixa teſtatur eum quamuis Epiſcopum, ab Arianis* tractum ad tribunal conſulare; vnde dimiſſus μεστίγων καὶ αἰκίας χωρὶς *ſine verberibus & ignominia.* Vnde conſtat eum pœnæ corporalis periculum adiuiſſe? Tantùm abfuit ab Imperatoribus aut Magiſtratibus exauctorandis, vir zelo quidem ardens, ſed quem humilitate & modeſtia temparabat.

Lex Chriſti ſubijcit vos meæ poteſtati, & meæ ſedi nam & nos principatum gerimus; addam etiam maiorem & perfectiorem principatū. An oportet ſpiritū cedere carni. &c.

* συλλαβόμενοι δ' αὐτὸν τῷ τοῦ ὑπατικοῦ παρέστησαν βήματι.

Cap. XIIII.

Imperatores Romanos, & Reges Italiæ habuiſſe poteſtatē in caput, fortunas, & ſedem Pontificis Romani. Papam non ita pridem cœpiſſe Romam poſſidere ſub titulo ſupremi Principis.



Onſtantinus, pace Eccleſijs parta, Epiſcopos liberaliter habuit, Nec dubium eſt quin Epiſcopū Romanum pari munificentia ſit proſecutus qua cæteros. At quo vſque ſe extenderit eius liberalitas non ſatis conſtat. Nam Donatio Conſtantini quæ habetur. Diſt. 96. Can. *Conſtantinus*, tam ſtolidè confiĉta eſt, vt nemini poſſit imponere; niſi qui vltro vult decipi.

1 In ea Conſtantinus dat Papæ imperium totius occidentis, Romam, Italiam, Hiſpaniam, &c. diadema aureum, collare Imperatorium, ſceptrum imperiale, turmam equitum præcedentem, clerum in equis albis, & quæ piget referre: Res ſane quas nec Conſtantinus dare potuit, nec Papa vnquam poſſedit, nec oblatas recuſauit.

2 Eiuſdem farinæ ſunt fabulæ ibi inſertæ de lepra Coſtantini, de balneo ex puerorum ſanguine, de duodecim terræ cophinis Conſtantini humeris in templi ædificationem illatis, De Conſtantino baptiſato a Syluestro: Eum enim baptiſatum eſſe ſub mortis tempus Nicodemiæ ab Euſebio Nicomedienſi conſtans eſt veterum hiſtoricorum teſtimoninm Euſebij lib. 4. de vita Conſtantini cap.

cap. 62. Hieronymi in Chronico. Socratis lib. 1. cap. vlt. Theodoreti. lib. 1. cap. 31. Ambrosij de obitu Theodosij.

3 Quid quod in bella ista donatione fit mentio Satraparum Constantini, cum Satrapæ nomen semper fuerit Romanis auribus insolens. Non secus ac si Augusti Cæsaris Marescallos, aut Alexandri Comites stabuli diceres.

4 Tale est quod Ibidem dicitur donatio ista facta de sententia totius Senatus, quem tamen Ethnicum fuisse non modo imperante Constantino, sed & vsque ad tempora Gratiani, Theodosij & Arcadij euincunt Epistolæ Symmachi ad hos Imperatores.

5 Æque absurdum est quod Constantinus ibi tribuit Episcopo Romano principatum in quatuor præcipuas sedes, Antiochiam, Alexandriam, Ierosolyma, Constantinopolm; Nam sub Syluestro, ne Constantinopolis quidem erat, nec Episcopus Bysantinus viuo Constantino Patriarchæ ἀξίωμα vnquam obtinuit.

6 Clauduntur hæc figmenta diro anathemate quo addicitur cruciatibus inferni quisquis cótra hæc ierit. Ergo Constantinus ipse se hac execratione induit, dum Romam & Occidentis Imperium filio Constantino reliquit testamento. Immo per hoc anathema quotquot Imperatores & Reges ex eo Italiam tenuerunt, ipsique Reges Galliæ & Hispaniæ quotquot fuerunt præcipitantur in Tartara, vtpote qui possederunt & possident partem Occidentalis Imperij.

7 Et ne quid desit ad summam vecordiam, dicitur

dicitur donatio illa facta Consulatu quarto Constantini filij & Gallicani quos nunquam vna fuisse Consules docet Chronicon Ammiani, Cassiodorus in Chronico, Onuphrius iu Fastis.

8 Nempe hæc pari acumine & fide conficta sunt, quo dicitur eadem donatio facta sub Melchiade Siluestri decessore, pluscwlis annis antequam Constantinus fieret Christianus. Causa 12. q. 1. can. *futuram*.

Nimirum hæc plane conficta sunt in nostrorum Regum fraudem & contumeliam, ne Papa eis quicquam debere crederetur. Nam quicquid Papa possidet in Italia, beneficium est Pipini, Caroli Magni, & Ludouici pij: sed auctor istius præclaræ donationis, voluit altius ducto canali hoc beneficium aliunde deriuare, & eius memoriam auertere. Quæ iniuria ferenda esset, nisi Papa ad tanti beneficij mercedem Francos quotidie emungeret argento, Reges ipsos exauctoraret ad libitum, & diris ac fulminibus in Regum capita intonans, cædibus & seditionibus Galliam impleret, vsque adeo vt Iulius II. bellum mouens in Ludouicum XII. plenam indulgentiam proposuerit cuilibet qui Gallum occideret. Sic agens vt qui securi amputat ramos arboris cuius fructus carpsit, & cuius vmbrâ recreatus est. Nota est, Ludouici Pij erga sedem Romanam immensa liberalitas: cuius immemor Gregorius Papa, filios aduersus optimũ patrẽ rebellantes summo scelere adiuuit. Vt testatur Sigebertus ad annũ 832. *Gregorius Papa in Galliam veniens, contra Imperatorem cum filijs agebat.*

Non possum tamen non mirari, quo modo pontifices se hac donatione tueantur, quæ eis plurimum obest. Nam si primatū suum habent dono Constantini, qua fronte audent eam asserere ex verbo diuino?

His laruis disiectis quæ aditum obsidebant, historiæ filum persequamur. Augustinus Epistola 162. & Eusebius historiæ lib. 10. cap. 5. referunt Donatistas postulasse a Constantino cognitores suæ causæ. Ille autem dedit Miltiadem Episcopum Romanum, Rheticum, Maternum, & Marinum, quibus iudicibus Donatistæ causa ceciderunt. At illis factam sibi iniuriam clamantibus, Imperator voluit de eorum causa iterum cognosci in ampliori cœtu: quod & factum Arelatis frequenti Synodo. Neque vero Episcopus Romanus conquestus est latam a se sententiam retractari, aut iniuste facere Constantinū, qui vellet a Papæ Iudicio ad aliorum Episcorum iudicium prouocari.

Constantini filius Constantius Liberium Pontificem exuit Episcopatu, & Beræum iussit deportari, suffecto in eius locū Felice. Fuit quidem Constantius Arianus & Liberium Athanasio patrocinantem oderat. Sed non ideo damnatur a veteribus quod in Papam sibi assumeret potestatem, sed quod rectæ fidei aduersaretur. Quod si Liberius tunc fuisset Arianus, nemo illum iniusté ab Imperatore pulsum conquestus fuisset.

Sub Valentiniano Primo, anno Christi 367. Damasus & Vrsicinus Episcopatum Romanum

pari

pari contentione ambiebant : Eumque vterque ſuum riualem ſupplantare ſummâ ope niteretur, tandem mota ſeditione ad arma concurſum eſt; Vno die centum triginta ſeptem reperta ſunt cadauera peremptorum. Nec finis fuit, donec Damaſus victor Epiſcopatum obtinuit, vt refert Ammianus hiſtoriæ lib. 27. Non multo poſt Honorius vt talibus in poſterum ſeditionibus iret obuiam, legem ſanxit quæ habetur Canone : *Si duo forte* Diſt. 79. verba legis ſunt, *Si duo forte contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati nullum ex eis futurum Sacerdotem permittimus.* Ipſe Bonifacius Epiſcopus ad eundem Honorium his verbis ſcribit. *Precamur ſacræ cauſa religionis, vt in vrbe veſtræ manſuetudinis, hoc animo quo poſtulatis & annuitis, in perpetuum Statui vniuerſalis Eccleſiæ conſulatis.* Quæ ſane fidem faciunt quæ fuerit Imperatoris in Epiſcopũ Romanũ & Eccleſiam Romanã poteſtas, vel fatente ipſo Pontifice.

Anno Chriſti 420. hinc Bonifacius, illinc Eulalius cõtrarijs populi ſtudijs eliguntur in Papas. Quod vbi renuntiatum eſſet Honorio qui tunc Chediolani agebat, vtrunque vrbe pellit : mox tamen Bonifacium reuocatum in ſedem reſtituit. Platina, Sigebertus, & alij.

Anno Chriſti 451. conuocata eſt Synodus Chalcedonenſis iuſſu Theodoſij iunioris, poſt etiam Martiani Imperatoris fruſtra rogante Leone I. Papa Romano vt in Italia congregaretur. Vt teſtatur Leonis Epiſtola 123. At non placuit Imperatori, iuſſuſque eſt Leo venire Chalcedonem, aut Legatos mittere. Miſſi Peſchaſinus & Lucentius,

tius, qui quotiescunque alloquuntur, præsides & Patricios quos Martianus voluit Synodo præsidere, non aliter loquũtur, ac subditi, & pẽdentes ab Imperio præsidũ. Sic Actione 16. locuturi veniã sic præfantur. *Si imperat magnificentia vestra habemus quædam referre vobis. Gloriosissimi Iudices dixerunt, quod vultis dicite.* Idem Legati addunt, *Hesterna die postquã potestas vestra surrexit, & humilitas nostra vestigia vestra secuta est, &c.* Quanta igitur demissione vsi essent erga ipsum Imperatorem?

Non multis post Honorium annis Herusi duce Odoacre, mox Gotthi inuaserunt regnum Italiæ sub Rege Theodorico qui Ioannem I. Papam legatum misit ad Iustinianum Imperatorem, reuersum re male gesta in carcere necauit.

Habes apud Cassiodorum plurimas Epistolas Regis Theodorici ad Senatum & populum Romanum in quibus res vrbis ad libitum ordinat: Præfecto vrbis, & Vicario vrbis Romæ formulam administrationis præscribit lib. 6. & 7. Variarum: Episcopo Romano insuper habito, cuius inter tam multas ad Senatum Romanum & Præfectos vrbis, & Vicarios, epistolas, nulla mentio. Vnde patet regimen vrbis ad Episcopum tunc non pertinuisse. Hoc Theodorico regnante Anastasius Papa moritur anno Christi 498. Riuales duo Symmachus & Laurentius de Episcopatu vsque ad cædes & rapinas contenderunt. Quibus malis vt occurreretur, vterque ad Theodoricum Regem, quamuis Arianum, profectus est, qui Symmachum, vt prius electum, Pontificem esse iussit. Sed hic paulo post multorum scelerum co-

ram Theodorico arcessitus vadimonium obijt,
An. 496. Misit Rex cognitorem Petrum Altinæ ciuitatis Episcopum, quem Sigebertus vocat visitatorem sedis Apostolicæ. Testes Anastasius, Diaconus, Liber Pontificalis, Platina, & alij. Tantaque erat Papæ tunc temporis tenuitas, vt tertio Synodus Romana sub Symmacho cap. 4. adimat Papæ potestatē alienandi vel commutandi vnicum exiguum prædiolum.

Anno 525. cum Iustinianus in Arianos sæuiret, eaque res Theodoricum male haberet, Iohannes Papa a Theodorico legatus ad Iustinianum mittitur, paruit Pontifex, & Theodorico iubente pro Arianis intercessit. Eundem Theodoricus in Italiam reuersum in carcere necauit, Anastasius, Platina, liber Pontificalis, &c.

Theodorico mortuo succedit Athalaricus puer, qui Iohannem Episcopum Romanum impense coluit, vt testatur eius Epistola quæ est 24. libri 8. Variarū Cassiodori. Vbi vetat clericum Romanum apud Iudicem ciuilem primo conueniri, sed vult Episcopi iudicio rem transigi. Veruntamen addit, *Si forte, quod credi nefas est, competens desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad sæcularia fora iurgaturus occurrat.* Nimirum causas clericorum permittit cognitioni Pontificis, sed ea lege vt inde ad sæcularia iudicia detur prouocatio. Idem Rex lib. 9. Variarum Cassiodori. Sic alloquitur Papam vt Princeps subditum non suadentis aut supplicantis voce, sed iubentis. Sic enim loquitur. *Sanctitas vestra statuisse nos præsenti definitione cognoscat, quod etiam ad vniuersos Patriarchas atq;*

Metrop-

Metropolitanas Ecclesias volumus pertinere, &c. Deniq; prolixe sub grauibus pœnis vetat ne quis affectans Episcopatum Romanum, suffragia cauponetur, & largitione aut sacrorum vasorum venditione sacrilegii se alliget.

Athalarico succedit Theodatus anno 536. qui Agapetum Papam a se creatum misit Constantinopolim, acturum cum Iustiniano de conditionibus pacis: Quo, in legatione ipsa mortuo, Theodatus Syluerium per vim in sedem Romanam intrudit, qui biennio post a Belisario duce copiarum Iustiniani loco motus Pataram Lyciæ relegatur. Vigilius pecunia Pontificatum emit a Belisario. Syluerius quanquam exul Vigilium Anathemate percutit, qui iussu Theodoræ Imperatricis paulo post Constantinopolim vi tractus inter initia quidem honorifice habitus est a Iustiniano, At cum Imperatori & Theodoræ liberius obloqueretur, *Ita* (vt ait Platina) *cæsus est, vt paulum abfuerit quin occideretur. Fugiens itaq; in Templum Sanctæ Euphemiæ quod haud procul aberat inde a grassatoribus trahitur, & iniecto in collum eius fune tanquam latro per totam vrbem vsq; ad vesperam trahitur. Deinde vero carceri inclusus pane & aqua tatummodo aliquandiu vitam duxit.* Hæc Platina.

Recuperata Italia a Belisario & Narsete, iterum Roma eiusque Pontifex in Imperatoris Græci potestatem concessit, Qua veneratione & obsequio Papæ illius æui sint Imperatores prosecuti, testantur eorum Epistolæ. Præ cæteris vero Epistolæ Gregorij I. ex quibus serenissimus Rex

Maioris

Maioris Britanniæ in Apologia pro juramento multa apte & fideliter excerpſit, Epiſtola 61. lib. 2. ſcribens ad Mauritium de lege quadam ne reciperetur miles in Monaſterium nondum expletâ militiâ. *Omnipotenti Deo* (inquit) *reus eſt qui ſereniſſimis Dominis in omne quod agit & loquitur purus non eſt.* Deinde ſe appellans *indignum famulum pietatis eius*, Sic Epiſtolam concludit. *Ego quidem iuſſioni ſubiectus eandem legem per diuerſas terrarum partes tranſmitti feci. Et quia lex ipſa omnipotenti Deo minime concordet, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam sereniſſimis Dominis nuntiaui. Vtrobique ergo quæ DEBVI exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod ſenſi minime tacui.* Qui obedientiam præbuit Imperatori in re quam putabat iniuſtam, quid feciſſet in re quam iuſtam exiſtimaſſet? Et Epiſtola 6. lib. 3. ſic affatur Imperatorem. *Ego autem indignus pietatis tuæ ſeruus.* Et ibidem. *Ego vero hæc Dominis meis loquens quid ſum niſi puluis & vermis?* Vbi non tantum vocat Imperatores Dominos quæ eſt vox honoris, ſed & *ſuos Dominos*, quæ eſt vox poteſtatis. Idem habes Epiſtola 64. ad Theodorum lib. 2. & lib. 8. Epiſt. 2. Quin & ex prima Epiſtola lib. 7. liquet Gregorium nequidem auſum ordinari Epiſcopum niſi conſulto Imperatore. Erat autem (vt ait Platina in Seuerino I.) vana tunc temporis electio cleri ac populi, niſi id Imperatores, aut eorum Exarchi confirmaſſent.

Anno Chriſti 654. Conſtans Imperator Martinum Papam catenis onerat, & Cherſonam in exilium deportari jubet vbi & mortuus eſt. Platina,

tina, Baronius. Sigebertus ad annum 659.

Anno Christi 676. Imperator Constantinus IV. Sacram mittit ad Donum Episcopum Romanum, qua jubet Papam mittere ad Concilium Constantinopolitanum, tres viros selectos. Sic autem loquitur. *Per omnia IVBEMVS vestram paternam beatitudinem minime effici impedimentum voluntati Dei, sed eos dirigere.* Respondet Agatho Doni successor humilitate qua decuit. *Secundum* (inquit) *pyissimam iussionem mansuetudinis vestræ, pro obedientia quam debuimus* &c. Et paulo post. *Flexo mentis poplite suppliciter vestram clementiam deprecamur.* Et paulo post. *Non nobis eorum legatorum scientia confidentiam dedit, vt ad pia vestra vestigia eos auderemus dirigere. Sed hoc Imperialis vestra benignitas clementer iubens hortata est, & nostra pusillitas quod iussum est obsequiter impleuit.* Hæc habentur initio Concilij Constantinop. IV. & Actione IV. ex quibus nemo non perspicit hunc Papam nesciuisse Imperatorem sibi esse subditum, & se posse Cæsari Imperium adimere, aut si fuerit aries furiosus, eum aut vincire, aut jubere occidi.

Et quanquam post annum a Christo septingentesimum debile esset Imperium Romanum in Italia, Longobardis maximam Italiæ partem tenentibus, & Exarchis ad propulsandos barbaros inualidis, Papa ipso iam res nouas agitante, & defensionem imaginum aduersus Imperatores, suæ ambitioni prætexente: Pontifices tamen adhuc appellabant Imperatorem suum dominum, & cæterorum subditorum more suas Epistolas de

anno

anno Imperij suorum Dominorum denotabant, vt fidem facit clausula extrema Epistolarum Gregorij II. & III.

Insignis vero est oratio Hadriani Papæ sic compellantis Constantinum & Irenen in fine Epistolæ quæ inserta est concilio Niceno II. Act. 2. *Hæc* (inquit) *mitissimis vestris Imperijs legenda tradidimus, obtestantes interim & ex animi feruore vestram mansuetudinem obtestando, & veluti præsentes genibus aduoluti, & coram vestigia pedum volutando, ego cum fratribus meis coram Deo supplico, obtestor, adiuro, quo ipsas imagines in pristinum statum restitui & firmari iubeatis.* Nempe tunc temporis Papæ Imperatorum genibus aduoluebantur, qui postea coacti fuerunt lambere Pontificum vestigia.

Et hic quidem status fuit & conditio Pontificis Romani vsque ad Pipini & Caroli magni tempora.

Nam quod ad Paparum electionem attinet, satis constat eam olim factam suffragijs populi & cleri Romani; accedente Imperatoris consensu. De Theodorico & cæteris Italiæ regibus iam dictum est qua ratione Pontifices exauctorauerint & creauerint ad libitum. Theodoricus autem regnare cœpit anno 493. Ante eum penes Imperatores erat hæc potestas vt testatur Platina in Syluerio. Deletis Gotthis a Narsete, ea potestas ad Imperatores & eorum Exarchos redijt, vt docet Platina in Benedicto II.

Anno Christi 581. Gregorius Archidiaconus a populo Romano & clero ad Tiberium Imperatorem

torem mittitur, causas expositurus cur electus fuerit Pelagius non expectato Imperatoris assensu. Causabatur vias interclusas excursionibus Longobardorum, & inundationibus aquarum. Idem Gregorius paulo post electus a populo & clero suppliciter postulauit ab Imperatore Mauricio ne electionem suam ratam haberet. Anno 679. Agatho Pontifex obnixe postulat a Constantino Pogonato relaxationem tributi quod Pontifices pendebant Imperatori pro sua inauguratione, vt docte & vere Rex Serenissimus obseruauit. Summa fuit viginti libræ auri, vt docet Authentica 123. Iustinianis cap. 3. vbi & discimus eidem taxationi fuisse obnoxias sedes alias Patriarchales, idque ex veteri consuetudine.

Sigeb. ad an. 680. Agatho Papa suscepit diuinalem iussionem principum, per quam relenata est quantitas quæ dari solebat in ordinatione.

Constantinus quidem abstinuit sua illa potestate, sed beneficium eius fuit inofficiosum; quia exercitum Romanum pro se substituit, quippe sanxit vt quem populus, clerusq; & exercitus Romanus elegissent, is esset Pontifex, vnde turbæ & seditiones circa electionem oriebantur, ad quas compescendas ad Exarchum subinde recurrebatur: vt fidem facit electio Canonis I. & Sergij I. annis Christi 686. & 688. Fateor quidem veteres Imperatores Constantinum, Valentinianum, Gratianum, de electione Papæ Romani parum fuisse sollicitos, quando nempe Pontifices sola spiritualia curabant. At ex quo cœperunt immiscere se negotiis temporalibus, & attrectare per ambitionem ciuilia, non mirum est si Imperatores voluerunt habere Papas beneficio sibi deuinctos, & a se in sede collocatos.

Imperium Occidentis vnà cum Italiæ regno ad Francos translato, Papæ dignitas immensum quantum aucta est liberalitate Caroli Magni & Ludouici Pij: Nihilo secius tamen ius Papam electum approbandi & confirmandi apud Imperatores mansit. Isque honos vltro delatus Carolo Magno ab Adriano I. vt docetur Canone Hadrianus. Dist. 63. Nec multo post Paschalis I. mittit ad Ludouicum Pium qui causas redderent cur contra morem & ius in sua electione non fuerit expectata sententia Imperatoris. Hunc Ludouicum falso* perhibent renuntiasse isti potestati. Nam sub idem tempus Gregorius IV. noluit Papatum adipisci, nisi post electionem suam Ludouici assensu firmatam, vt testantur Sigonius & Platina qui & idem asserit de Benedicto III. Anno 867. Legati Ludouici intercesserunt electioni Hadriani I. asserentes eum vitio creatum, quod ad eius creationem voluntas Regis non accessisset: Quo loco obiter notandum quot criminibus falsi fœdatum sit deceretum Romanum. Nam in Distinctione 63. Canone *Cum Adrianus*, Papa Gregorius IV. ait Adrianum II. electum absque Imperatoris assensu, at hic Gregorius IV. longe antiquior est Adriano II. nam inter hunc & illum quinque Pontifices intercesserunt. Pari fraude confictus est canon. *Ego Ludouicus*, eadem distinctione, vt ante probauimus. Anno 854. Anastasius Pontificatum inuadit, mox a legatis Lotharij in carcerem compingitur. Sigebertus.

* Dist. 63. Can. *Ego Ludouicus*.

Inter hæc Normanni a Septentrione in Gallias

lias effusi, quasi immanis procella, Occidentale imperium afflixerunt: In quibus summouendis Imperatores occupati, facti sunt circa res Italiæ indiligentiores, & Berengarijs data facultas inuadendi Regnum Italiæ. Tunc sedes Romana quasi rectore excusso, cædibus, libidinibus, veneficijs impleta est, ipso Baronio teste qui tunc temporis multa monstra sedem Papalē insedisse vltro agnoscit. Igitur Romana Ecclesia in tantis malis, coacta est opem poscere a Rege Berengario. Nec multo post Otho I. Imperator pulso Iohanne XIII. Leonem VIII. laicum Pontificem elegit, & electionem Paparum voluntati Imperatoris in perpetuum submisit, cuius submissionis formulam habes Can. *In Synodo*, Dist. 63. Addit Sigonius Leonem censtitisse *non sine causa Adrianum I. Carolo Magno tribuisse vt Ecclesiam ordinaret, & Pontificem legeret, libertate populo reddita Romanos in dies deteriores effectos*. Idem Otho Leone mortuo elegit Iohanem XIV. vt memorant Sigonius, Platina, & alij. Secutusque exemplum Otho III. anno 995. Gregorium V, creauit, ne quidem expectatis populi suffragijs. Eiusdem authoritate creatus est Syluester II. pactione facta cum Diabolo Papatum adeptus; si fides Sigeberto Martino Polono, Malmesburiensi, Stellæ, Platinæ, Bennoni Cardinali in vita Hildebrandi. Anno 1024. factio Comitis Tusculani tunc Romæ præpollens Iohannem XXI. ad Papatum euexit. Anno 1047. Imperator Henricus II. tres Papas Pontificatu exuit, Benedictum IX. Syluestrum III. Gregorium VI. quos Platina

Anno.963

tria monstra appellat vt fideliter notauit Serenissimus Rex. Assentitur Stella Monachus Venetus, *Henricus* (inquit) *Cæsar habita Synodo Benedictum prædictum & Syluestrum & hunc Gregorium, abdicare se Pontificatu coegit.* Idem Henricus Romanos ad renouandum iuierandum adegit, quo pollicebantur se ne quidem inter futuros electioni sui Episcopi nisi ex Imperatoris mandato. Iuxta hãc legem creati sunt Papæ sequentes Leo IX. Nicolaus II. Honorius II. Sigonius ad annum 1064. refert Hannonem Archiepiscopum grauiter expostulasse cum Papa Alexandro quod in sedem irrepsisset inconsulto Henrico Cæsare, *quam* (inquit) *sedem multos iam per annos nemo nisi a Rege probatus ausus esset attingere.* Ipse Gregorius VII. flagellũ Imperatorũ, an. 1075. ab Henrico IV. confirmatus est. Ex eo cecidit Imperatorum Maiestas, qui non modo regno Italiæ a Pontificibus sunt excussi, sed & Imperij titulum non nisi ad Papæ nutum, & precario habere, & ad Paparum pedes coronam suam submittere coacti sunt. Quantum in hac contentione fusum sit sanguinis, quot stragibus populorũ, quot euersionibus regnorum & Principum mutatio illa constiterit, nouit qui historias istius æui euoluit. Qua de re operæprecium est audire iudicium Sigeberti, qui vixit sub hoc Gregorio. Is ad annum 1088. sic loquitur. *Nimirum, vt pace omnium bonorum dixerim hæc sola nouitas, ne dicam hæresis, nec dum in mundo emerserat, vt Sacerdotes illius, qui dicit Regi Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum quod malis Regibus nullam*

Sigonius p. 372. Platina in Clemente II.

debeant

debeant subiectionem, & licet ei Sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen fidelitatem debeant, &c. Et Benno Cardinalis in vita Hildebrandi, ait, *Simul ac ad excommunicandum Cæsarem de sede surrexit, sedem eius Dei nutu terribiliter, scissam in plures partes, vt manifesté daretur intelligi. Sessor ille tam periculosa excommunicatione, tanta præsumptione quanta quamque terribilia scismata seminaret contra Ecclesiam Christi, &c.*

Cæterum ipsius vrbis Romæ summum principatum quomodo Papa adeptus sit non facile est dicere. Nam ante dominationem Gotthorum in Italia, Imperatores Constantinopolitanos Romam tenuisse vel pueris notum est. Constantius sic affatur Liberium, *Nos quod Christianus esses, dignum te iudicauimus Episcopatu VRBIS NOSTRÆ.* Theodoretus lib. 2 historiæ cap. 16. Eodem modo. Dist. 97. Can. *Ecclesia* Bonifacius Papa sic alloquitur Honorium. *Precamur sacræ causa religionis, vt in vrbe vestræ mansuetudinis* (Romam intelligit) *hoc animo quo postulatis & annuitis, in perpetuum statui vniuersalis Ecclesiæ consulatis.* Sub Gotthis quomodo istius vrbis imperium fuerit penes Reges Gotthos abunde docuimus. Deleto Gotthorum Regno Exarchus in Italia constitutus qui vices Imperatoris in Italia gereret. Sigonius ad annum 687. dicit Exarchos solitos mittere Iudices Romam qui populo Romano ius dicerent. Idem ait Platina in vita Sergij II. qui primus Immutationẽ nominis in Papatum intulit, cum ante *Os porci* vocaretur. Anno Chr. 677. habita est Synodus Constantinopolitana

 tana

tana quarta, cuius fronti præfixa est sacra Imperatoris Constantini IV. in qua, Donum Papam sic compellat. *Dono sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo NOSTRÆ ROMÆ.* Cui Epistolæ respondens Agatho Sess. IV. Concilij, postquã dixit *Studiosa obedientia suum famulatum iussa* Imperatoris impleuisse, subiungit, *personas quasdam de hac seruili vestri Serenissimi Principatus Romana vrbe, vel proxima dirigere procuramus.*

Nec aliter se res habuit sub dominatione Francorum & Germanorum. Sigonius lib. 3. de regno Italiæ. *Carolus Exarchatum Rauennatem, Pentapolim, Ducatum Romanum, Tuscum, & Campanum, iure principatus & ditione sibi retenta Pontifici permisit.* Platina in vita Eugenij II. ait Lotharium in Italiam venientem Magistratum delegisse qui populo Romano ius diceret. Sigonij verba diserta sunt lib. 7. Historiæ de Regno Italiæ ad annum 973. *Pontifex* (inquit) *Romam Rauennamq; & ditiones reliquas tenebat auctoritate magis quam Imperio, quod ciuitates Pontificem vt Reip. principem, Regem vero vt Summum Dominum intuerentur, atq; ei tributa obsequiaque præberent.* Anno circiter millesimo Gerbertus qui & Siluester II. Othonis III. pædagogus voluntate Othonis Papatum adeptus est. Extat Decretum imperiale de electione Gerberti sub finem Epistolarum eiusdem Gerberti, in quo Imperator Romam vocat suam regiam vrbem, his verbis. *Pontifices non solum quæ extra vrbem esse videbantur vendiderunt, & quibusdam colluuijs a Lare Sancti Petri abalienauerunt, sed (quod absque dolore non dicimus) si quid in HAC NO-*

NOSTRA VRBE REGIA habuerunt, vt maiori licentia euagarentur, &c. Ipse Papa Paschalis anno 1111 vltro agnoscit ad Henricum V. Romanæ vrbis coronam & imperium pertinere Sigeb. anno 1111. Anno 1132 erat Romæ Lotharius Imperator vbi & in ipsa vrbe condidit leges Romanis, & valuis templi Beati Petri affixit: quæ leges habentur inter constitutiones Imperiales lib. 1. de feudis Tit. 19. Hæc cum ita sint, velim quidem doceri qua ratione & sub quo titulo summus Principatus vrbis & territorij Romani venerit in Papæ potestatem. An bello quæsiuit? an dono accepit ab aliquo Henrici successore? An pecunia emit, aut permutatione? An vero in vacua venit, & (vt initio orbis fiebat) res possessoribus destituta cessit in potestatem primi occupantis? Aut cur Papa ipse Imperatorem Germaniæ vocat Imperatorem Romanum quem Romano principatu expulit? Ego sane pertendo Papam non posse proferre titulos huius possessionis, nec dicere a quo habeat, aut quo iure possideat. Quam vero noua sit hæc possessio, & quomodo sublatis Bãderetis, Papa sit factus summus Princeps Romanus, qui volet pernosse, legat Volateranum, Blondum, & Sabellicum.

Cap. XV.

In qualibet gente Episcopos & Clericos semper fuisse subditos Regibus & Principibus illius gentis.



D vero quod licuit Imperatoribus in Pontifices Romanos, non dubium est quin in alios Patriarchas & Episcopos licuerit. De Ambrosij electione in Episcopatũ Mediolanẽsem Ruffinus sic loquitur lib. 2. cap. 11. *Dissidentis populi subito clamor & vox una consurgit Ambrosium Episcopum postulantis, baptizari hunc protinus clamant (erat enim catechumenus) & sibi Episcopum dari, nec aliter unum populum fore atq; unam fidem, nisi Ambrosius sibi daretur sacerdos. Obluctante illo & plurimum resistente, ad Imperatorem relatum Populi desiderium, omni maturitate iubetur impleri.* De Nectarij electione in Episcopum Bysantinum Sozomenus hæc refert lib. 7. cap. 8. *Cum Sacerdotibus nomina eorum quos ad ordinationem dignos iudicabant cartæ inscribere Imperator iussisset, ac sibi ipsi ex ijs omnibus, unius electionem reseruasset, alij alios in album retulerunt: Imperator perlecto inscriptorum catalogo, substitit in Nectario, cunctos ordine percurrit, ac Nectarium eligit.* Is autem nequidem baptisatus erat: Romani Episcopi nullum hic suffragium, Nicephorus lib. 17. historiæ cap. 26. hæc ait. *Ierosolymis episcopatum administrauit post Petrum Macarius, cùm Imperator nondum Episcopatum eius comprobasset. Quapropter*

Socrates lib. 4. c. 25.

propter etiam Ecclesiastica deturbatus est Cathedra. Idem lib. 16. cap. 10. *Zeno Imperator Petrum Cnapheum, vt qui a Basilisco reuocatus esset Antiochia expulit, & Calandioni Stephani successori episcopatum restituit. Paulum item Epheso exegit, Nestorium item Tarso, & Cyrum Hierapoli, Romanum Chalcedone* &c. habes similia exempla eiusdem libri cap. 2. & lib. 6. cap. 29. Neque tantum in electione aut abdicatione Episcoporum, sed & in tota gubernatione Ecclesiastica magna potestas Imperatorum fuit. Nam & conuocabant concilia; Papa Romano non consulto aliquando etiam reclamante, vt de Leone I. Papa probauimus, & turbatis rebus Ecclesiæ, authoritate sua res componebant. Superiore capite audiuimus Bonifacium suppliciter rogantem Honorium vt Ecclesiæ Romanæ statui prospiceret. Habes in codice Iustinianeo Titulos de summa Trinitate, & fide Catholica. De sacrosanctis Ecclesijs. De Episcopis & Clericis. De episcopali audientia. De Hæreticis & Manichæis ac Samaritis. Ne sanctum Baptisma iteretur. De Apostatis. De Iudæis & Cœlicolis. De paganis sacrificijs, & templis. De ijs qui ad Ecclesias confugiunt, vel ibi exclamant. De ijs qui in Ecclesijs manumittuntur. Tum Nouellæ Iustiniani plenæ sunt constitutionibus quibus maxima pars politiæ Ecclesiasticæ ordinatur, ad quas constituendas Papa Romanus nunquam abhibitus est, nec eius Iudicium quæsitum, aut expectatum. Authentica Iustiniani 123. c. 1. sic loquitur, *Si quis autem extra memoratam obseruationem Episcopus ordinetur, iubemus hunc omnibus*

modis Episcopatu depelli, Sed etiam illum qui præter hoc præsumpserit ordinare segregari vno anno a sacro ministerio, & omnem eius substantiam quæ quolibet tempore aut modo in eius dominium deducta est, propter culpam quam facit, dominio Ecclesiæ cuius est Episcopus vindicari.

Sic quoque penes veteres Franciæ reges fuisse potestatem in Episcopos & res Ecclesiasticas, infinitis probationibus euincitur, Concilij Aurelianensis I. caput 6. tale est. *De ordinationibus Clericorum id obseruandum esse decreuimus, vt nullus secularium ad clericatus officium præsumat accedere nisi aut cum regis iussione, aut cum Iudicis voluntate.* Vbi tunc Papa Romanus? aut quis hodie hæc ferret? Historia Gregorij Turonensis plena est exemplis potestatis regum in Episcopos & Clericos, lib. 4. cap. 15. Clotharius sic alloquitur Turonicos. *Præceperam vt Cato presbyter illic ordinaretur, & cur est spreta iussio nostra?* & cap. 18 Pascentius fit Episcopus Parisiensis *ex iussu regis Chariberti.* Cap. 26. Idem rex indignatus Emerium pulsum Episcopatu Xantonensi, presbyterum ad se missum excusandi causa iubet arripi, & plaustro spinis oppleto imponi, & in exilium propere abripi. Lib. 6. cap. 39. *Sulpitius in ipsa vrbe Biturigam ad Sacerdotium Cuntramno rege fauente, præeligitur. Nam cum multi munera offerrent, rex episcopatum quærentibus respondisse fertur. Non est principatus nostri consuetudo sacerdotium venundare sub pretio.* Lib. 8. cap. 22. *Rex data præceptione, iussit Gondesilum Sanctonium comitem cognomento Dodonem, episcopum ordinari: gestumq́ est ita.* & cap. 39. *Obijt Euantius*

tius Viennensis Episcopus, in cuius sedem Virus presbyter de Senatoribus Rege eligente substituitur. Nulla hic mentio Papæ, nec annatarum, nec diplomatis enthronistici, seu litterarum inuestituræ. In synodo Francica quæ est Tomo 3. Conciliorum Carlomãnus Francorum princeps & Dux sic loquitur. *Ex consilio Sacerdotum & optimatum meorum, ordinauimus per ciuitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium qui est missus S. Petri. Statuimusq; per annos singulos synodum congregari, vt nobis præsentibus canonum decreta & Ecclesiæ iura restaurentur, & religio Christiana emendetur,* Sigonius lib. 3. de regno Italiæ, de Carolo magno loquens. *Vniuerso* (inquit) *procerum consentiente conuentu decretum vt Carolus Patricius Romanus esset, per singulas prouincias Archiepiscopos & Episcopos institueret, ita vt nisi ab eo laudarentur & instituerentur a nemine sacrarentur, & vt Pontificem eligeret sedemq; Apostolicam ordinaret.* Hac fretus potentia Henricus III. Imperator Anno 1004 Bambergensem Ecclesiam erigit in sedem Episcopalem. Sic & Henricus V anno 1111. dat Episcopatus & Abbatibus inuestituras per virgam & annulum ipso Papa Paschali annuente & probante, vt prolixe refert Sigebertus in fine suæ historiæ.

Editionis Colon. pag. 39.

Exempla Episcoporũ abdicatorũ a Carolo Martello & Ludouico Pio habes apud Sigebertũ An. 725. & 835.

Concilium Moguntinum sub Carolo Magno Anno Christi 813. sic incipit *Carolo Augusto veræ religionis Rectori ac defensori sanctæ Dei Ecclesiæ.* Similique titulo secundum Concilium Moguntinum insignit Ludouicum Pium. *Ludouico veræ religionis serenissimo rectori.* Nec abs re cum Da-

uid,

uid, cum Iosaphat, Ezechias & Iosias res Ecclesiæ perturbatas ordinarint, collapsamque disciplinam & verum cultum Dei instaurauerint. Quod nisi Reges vitia Sacerdotum & Pastorum sæpe cohibuissent, multis in locis actum fuisset de fide & religione.

At cum Pontifices Regum potentiam accidere ausi, egerunt cū nostris Regibus proteruius nō defuerunt Principes & sapientes viri qui ius suum tueri, & contra hoc fulmen oppedere (quanquam in tenebroso sæculo) ausi sunt. Qua de re Serenissimus rex in sua Præfatione sic loquitur. *Ex Francorum* (inquit) *monimentis primum eruam Philippi (cui Pulchro cognomen fuit) illas celebres ad Bonifacium octauum literas, quarum (post ridiculam salutationem) initium in hæc verba conceptum est. Sciat tua maxima fatuitas nos in temporalibus alicui non subesse &c.*

Salutem modicam, aut potius nullam.

Anno 1228.

Ludouicus quoq; nonus, qui Sanctus vsurpatur, publica sanctione quam Pragmaticam appellant omnes curiæ Papalis exactiones intra regnum suum prohibuit. Sub initia deinde Ludouici vndecimi Pius II. Pontifex sanctionem illam ante tot annos latam ægre ferens legatum cum solemnibus publicisq; litteris ad Ludouicum transmisit, quibus vehementer efflagitabat illius promissi fidem, quo se Ludouicus cum tantum Delphinatus Princeps esset, obstrinxerat, si quando Francico sceptro potiretur, se pragmaticam sanctionem antiquaturum. Rex ad Parisiense Concilium cui rem cognoscendam commiserat Legatum litterasq; reiecit. Vbi cum negotium agitare cœptum esset, Pontificum primum postulatio a Iohanne Romano regis aduocato a-

criter

criter oppugnata: in cuius sententiam cum Parisiensis Academia iuisset, a Pontificijs conatibus ad primum generale Concilium prouocatum est. Ita Cardinalis irarum plenus re infecta discessit. Hæc sapientissimus Rex, qui & hæc addit: *Tanto studio a Regis Ecclesiæq́; Gallicanæ partibus Sorbonistæ steterunt, vt senserint, si Pontifex Romanus Regi de eiusmodi rebus controuersiam mouisset, posse Ecclesiam Gallicanam sibi Patriarcham constituere & a Romana sede deficere. Et Gersonus ille, cætera Romanæ fidei rigidus propugnator, tantum abfuit vt ius istud sæcul are Pontificibus assereret vt contra de Auferibilitate Papæ ab Ecclesia librum scripserit, quanto magis a Regum ceruicibus?*

His adde Carolum V. qui edi curauit librum aduersus technas & tyrannidem Romanam, cui titulus *Somnium Viridarij*, qui etiam nunc legitur. Anno 1400. Rex Carolus VI. obuiam iturus æruscationibus & rapinis Curiæ Romanæ Galliam exugentibus, sub titulo annatarum, reseruationum, expectatiuarum, & dispensationum, Gallia expulit omnes æruscatores & collectores pecuniæ a Papa missos. Iratus Benedictus maledictionem suam strinxit, Regem, proceres, fautores, sacris interdixit. Quin & libellum conuitiorum in Regem misit per hominem qui se tabellarium Tholosanum mentiebatur. Sed riserunt Galli brutum hoc fulmen, & diras irritas. Quin & Senatusconsulto libellus iste publice laceratus 4. Idus Iunij. 1401. Decem diebus postquam hæc gesta sunt, consurgente Senatu circa vndecimam matutinam, producti sunt duo bullistæ excom-

municat

municationis iſtius geruli, qui poſt ſatisfactionem honorariam ſuper Scalis Palatij, impoſiti plauſtro tortoris, per vrbis compita, mitellati & fœdo amictu induti, circunducti ſunt, & populi ſibilis ac pipulo excepti. At Benedictus nihilo ſecius corradere nummos, & mille rapiendi artes comminiſci. Donec tandem, Rex & Curia Parlamenti, grauiſſimo Senatuſconſulto, quod Arreſtum vocant, ſub grauiſſimis pœnis vetuit nummos vllos Regno efferre ſub religionis colore, tum inhibitæ Annatæ & tota Romana cauponatio. Hoc Arreſtum habes deſcriptum & notis accuratiſſimis illuſtratum a Carolo Molineo in Commentario *Contra paruas Datas, & abuſus Curiæ Romanæ.*

Exemplum patris ſecutus Carolus VII. anno 1437. Epiſcopos ſuos vetuit ire Ferrariam ad Cōcilium a Papa Eugenio indictum; Idemq; anno ſequente, regni ſui comitia de more Bituricum conuocauit, quorum conſilio & ſuffragijs Pragmatica ſanctio conſtituta Anno 1440. Regium diploma frequenti Senatu lectum & publicatum, quo cautum erat ſub grauiſſimis pœnis ne vllæ bullæ Papales citationum vel præuentionum, vel cenſurarum Papalium in Galliam inferrentur. Obtinuitque iſta ſanctio vſque ad conuentionem inter Franciſcum I. & Leonem X. qua Rex facilis Papæ quæ voluit indulſit.

Cæterum ne quis Epiſcopus accitus ad Synodum, eo iret Rege non permittente iam ante vetuerat Concilium Agathenſe II. Can. S. Epiſcopus. Diſt. 18. *Poſtpoſitis omnibus (excepta graui infirmitate*

firmitate corporis aut praeceptione regia) ad constitutam diem adesse non differant.

Anni sunt centum, cum Iulius II Ludouicum XII. bello adortus Regi optimo regnum abrogauit, & Galliam interdicto subiecit. At Rex regni sui optimatibus, necnon Episcopis ac Praelatis Turonum conuenire iussis, de re tota ad eos retulit, ibique vnanimi omnium suffragio decretum, licere se opponere Papalibus censuris, quippe nullis & abusiuis, profectis non a capite Ecclesiae, sed ab hoste Regis & regni. Aliud esse opponere se Iuliano Ruuerae (hoc erat Iulio nomen) aliud Pontifici. Ausus etiam Rex fortissimus percutere monetam auream, cum hac inscriptione, LVD. XII. D. G. FRANC. REX DVX MEDIOLANI, altrinsecus vero PERDAM NOMEN BABYLONIS, vsque adeo Papae fulmina, vt aniles bombos, & puerilia μορμολύκεια contemnebat.

Anno 1561. cum quidam Tanquerellus Theologiae Baccalaureus frequenti Sorbona thesim hanc defendisset. *Regem si deserat fidem Catholicam posse a Papa deponi*; Senatusconsulto judicatum, propositionem istam falsam esse & temerariam, iussusque Tanquerellus palinodiam canere, fateri errorem, poenamque deprecari, quanquam profiteretur id a se dictum, *doctrinaliter tantum non iuridicè*, vt scholae balbutiunt.

Nouissime cum Sixtus V. Henricum III. anathemate notasset & regno exuisset, Curia Parlamenti Turoni congregata, bullam papalem frequenti Senatu damnauit, & accensi manu palam cremari

cremari iussit. Hæc quidem erant vltima suspiria morientis libertatis.

Quam in rem obiter notandum nunquam Pontifices talia orsos, nisi rebus Galliæ turbatis; nec ausos in Galliæ Reges detonare, nisi quando eos viderunt implicatos difficillimo bello ciuili, aut externo; vt res iam turbatas pessundarent, & ruentem Rempublicam impellerent. Confecto vero bello, quotiescunque Papa vidit Regem ictum fulmine, retinere tamen rerum gubernacula, & perrupisse obstantia, præsto semper fuit victori plena indulgentia, & reuocatio ouis errantis, & declaratio nihil per ante acta derogatum esse Regis optimi, & Ecclesiæ filij, potestati & iuri. Cuius rei est insigne exemplum, Extrauagans *Meruit*. Nam cum Bonifacius VIII. a Philippo Pulchro fuisset duriter habitus, & in carcerem compactus, in quo miserabiliter vitam finijt, Rege indignante Bonifacium asserere, Galliæ Reges sibi subesse in temporalibus, & in extrauaganti *Vnam Sanctam* ius summum vtriusque gladij sibi vendicare, Clemens tamen V. Bonifacij successor non modo non vlciscitur mortem sui decessoris, sed & aliam Extrauagantem cudit, cuius hæc verba sunt. *Meruit charissimi filij nostri Philippi Regis Francorum illustris sinceræ affectionis ad nos & Ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt. Meruit insuper regnicolarum puritas: ac deuotionis sinceritas vt tam Regem quam regnum fauore beneuolo prosequamur. Hic est quod nos regi & regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. pred.*

Extrau. Meruit.

pred. nostri quæ incipit Vnam Sanctam nullum volumus vel intendimus præiudicium generari. Perbenigne sanè & profectò Rex, etsi sæuior paulo, dignus erat misericordia. Quam facile consequuntur qui non ambiunt, aut qui metuuntur.

Habet & Regnum Angliæ sua exempla. De quo quædam proferuntur a Serenissimo Rege ex Archiuis sui Regni. *Henricus* (inquit) *id nominis post Conquestum primus, concessit Episcopatum Wintoniensem Willielmo Gifford, & continuo de possessionibus cunctis ad Episcopatum pertinentibus, contra noui Concilij statuta inuestiuit.* p.34. Math. Paris in Hen. 1. anno. 1100.

Idem Henricus dedit Archiepiscopatum Cantuariensem Radulpho Londinensi Episcopo, & illum per annulum & pastoralem baculum inuestiuit. Idem ibid. an. 1113.

Sed & Papa Calixtus Rhemis Concilium tenuit, ad quod Rex Henricus quosdam Angliæ & Normanniæ Episcopos destinauit. Turstanus quoq; Archiepiscopus Eboracensis electus, illuc veniendi licentiam a Rege impetrauit, interposita fide, quod benedictionem ab eo non reciperet. Qui ad Concilium veniens Romanos (sicut mos est) in suum fauorem largitatis beneficio transtulit: & per eos vt a Papa consecraretur, impetrauit. Quod vt Regi Anglorum innotuit, omnem ei locum suæ dominationis interdixit. Idem ibid. an. 1119.

Rex Eduardus I. Abbati de Waltham, & Decano Ecclesiæ S. Pauli interdixit, ne decimas bonorum cuiusq; in Hierosolymitani belli sumptum colligerent, quanquam hanc prouinciam illis Pontifex tribus Bullis demandasset: Decanus vero, Abbate interim mortuo, Regi, Regioq; se stitit consilio, promisitq; se, qua erat in Regem obseruantia, nibil vltra, nisi iussu nutuue Re- Ex archiuis Regni.

gis in eo negotio gesturum. Hic hominem Ecclesiasticum teneo, qui Papæ non paruit, vt Regi suo pareret, in rebus quoq; Ecclesiasticis: nondum scilicet noua hæc Iesuitarum Theologia orbi innotuerat.

Idem ille Eduuardus, diem Decano sacelli de Woluerhampton dici iussit, quod contra Regni priuilegia ex sacelli sui Prœbendis vnam, ad Pontificis mandatum, cuidam contulisset. Decanus autem comparuit, culpamq; confessus sese Regiæ clementiæ permisit. Sed & Dunelmensem Episcopum prærogatiuis ac priuilegijs omnibus idem Rex spoliauit, quod prohibitorio cuidam interdicto minime paruisset. Inde palam est, nequaquam illius sæculi Principes credidisse, Clericos a sua iurisdictione esse exemptos. Sed nunc sublimior quædam nobis & Seraphica in contrarium doctrina proponitur.

Denq; ad pleniorem huius rei fidem faciendam Ioannis de Ibstock accedat exemplum, qui in Carcerem ab eodem Eduuardo coniectus est, quod totos septem annos apud Romanæ Curiæ Iudices, super Nuechurchiensi Rectoratu contendisset.

Eduuardus secundus paternis vestigiis insistens, Abbatem de Walden, quod sancti Albani Abbatem cum alijs aliquot ad Romanam Curiam citauisset, primo ad caussæ dictionem vocari, mox & in custodiam duci iussit.

Eadem ratione, cum Bamburiensis quidam Prebendarius, Beuercotum quendam ad Romanam Curiam traxisset, litteræ statim Regiæ intercesserunt, quibus capi Præbēdarius, & custodiæ mādari iubebatur.

Nec vero Eduuardus tertius ab his Aui, Patrisq; exemplis abiuit. Cum Lichensis Rector diem Priori sancti

sancti Osuualdi dixisset, vt se Pontifici Anenione siste-ret, quod apud Iudices in Curia Domini Regis pensio-nem quandam contra ipsum recuperasset: Rex impera-uit, vt in temporalia simul ac spiritualia eiusdem Re-ctoris bona inuaderetur. Idem cum Haruuoden qui-dam, Pontificiam Bullam contra sententiam a suis Iu-dicibus latam impetrasset, reum esse, dignumq́ in quem animaduerteretur, pronuntiauit.

Sic & illum qui Pontificijs Bullis fretus seipsum in Barnuellensis Prioratus possessionem miserat deduci in Turrim Londinensem iussit, & in ea custodia Regis ar-bitrium expectare.

Cap. XVI.

Papam ius conuocandi cōcilia, & in eis præsidendi, Impe-ratoribus & Regibus ademptum, ad se traxisse.



Væ sint Concilia vniuersalia seu Generalia, & quid differāt a nati-onalibus & prouincialibus accu-ratè disserere, non est huius lo-ci. Id tantum obiter monen-dum, maxima illa Concilia Ni-cenum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum I. Calchedonense &c. vocata esse Vniuersalia quia constabant Episcopis coactis ex vniuerso imperio Romano; Quod quia maximam partem Orbis noti tunc occupabat, factum est vt hæ synodi Oe-cumenicæ appellarentur: Pari abusu quo Episco-pus Bysantinus se Oecumenicum Patriarcham

 vocabat,

vocabat, vtpote sedens in vrbe quæ dicebatur Imperare τῇ οἰκουμένῃ, etiam tunc cum Imperium valde esset accisum, & angustis limitibus circunscriberetur. Enimuero Concilia ista quantumuis magna, non tamen extendebantur extra terminos Imperij Romani: Neque enim ex Perside, India, Æthiopia, aut Intima Arabia veniebatur ad ista Concilia, quia Ecclesiæ illæ non suberant Imperio Romano. Immo nec ex Gallia, Britannia, Hispania, postquam ab Imperio auulsæ in aliorum Principum subiectionem concesserunt. Ac profecto magnitudinem veterum conciliorum debemus magnitudini Imperij Romani. Inde est quod Concilia decreuerunt decrescente Imperio. Magnitudinem vero Conciliorum æstimo non ex numero hominum, qui potest esse maximus, quamuis conuocetur ex angusto regno: sed ex terrarum & regionum amplitudine quæ subsint Concilio, & de suis Causis ecclesiasticis & controuersijs ad Concilium referant. Non alio sensu Concilia dici Vniuersalia facile credet qui sciet omnia vetera Concilia ab Imperatoribus fuisse conuocata; missis quoquo versum epistolis ad Episcopos, quas Diuales seu Sacras nuncupabant. Imperatores autem scripsisse ad Episcopos alieni Imperij, & eos iussisse ad diem & locum præstitutum se sistere, nec consentaneum est, nec possibile: neque id Rex vicinus vnquam passus fuisset. Maximè cùm Imperatores soliti essent suppeditare sumptus itineris, equos, vehicula, & præstationes quæ parangariæ appellabantur quæ χορηγία non fit nisi subditis, aut legatis Regum externorum. Hodie

Act. 1. Cõcilij Chalced. Imperatores vocantur Domini vniuersi mundi.

Concilia

Concilia vocantur Vniuersalia quæ conuocata sunt ex Vniuerso Imperio Romano Papali. Nam ex quo Papa inualit dominationem in Ecclesias Occidentales, & coepit ad se trahere iura Imperij Romani, ius quoque arripuit concilia conuocandi,& in eis præsidēdi: Imperatores vero & Reges coeperunt esse nullo loco neque numero, & esse in concilijs κωφὰ πρόσωπα: nec in alium finem interesse Concilijs per se aut per legatos quā ad amplificādā Papalē authoritatem professione obedientiæ, & sessione ad pedes Pontificis.

Hæc fieri in fraudem Imperatorum & Regum, ad quos hæc potestas diu pertinuit tam clarum est vt mirum sit quenquam posse contra pertendere.

Eusebius qui synodo Nicenæ interfuit lib. 3. de vita Constantini cap. 6 Σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότει σπεύδειν ἁπανταχόθεν τοὺς ἐπισκόπους γράμμασι τιμητικοῖς προκαλούμενος. *Constantinus generalem Synodū cōgregauit, literis honorarijs omnes Episcopos, ad properādū instigās.* & Socrates lib. 1. c. 8. de eodē Imperatore σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότει τοὺς πανταχόθεν ἐπισκόπους διὰ γραμμάτων εἰς Νικαίαν ἀπαντῆσαι παρακαλῶν. *Synodum Oecumenicam congregauit, Episcopos vndiq; Nicæam conuenire per epistolas iubens.* Et Theodoretus lib. 1. cap. 7. τὴν πολυθρύλλητον ἐκείνην πιστὴν, εἰς τὴν Νικαέων συνήγειρε σύνοδον. *Celeberrimum illud & fidele Concilium in vrbe Nicæna congregauit.* Idem habes in Sozomeno lib. 1. c. 17 & Epiphanius libro 2. hæresi vltima quæ est ἀρειομανιτῶν hæc habet: ὁ βασιλεὺς συνεκρότησεν οἰκουμενικὴν σύνοδον. Conuocatum vero Cōcilium iussu aut authoritate Siluestri Pontificis tā falsum est, vt ne quidem Siluester tū viueret, si cre-

ditur Athanaſio in Apol. 2. qui intererat Concilio. Zozomeno lib. 1. cap. 17. Nicephoro lib. 8. cap. 14. Immo & ipſi patres Nicæni in Epiſtola Synodica ad Eccleſiam Alexandrinam quæ habetur apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. teſtantur ſe iuſſu Conſtantini coijſſe.

Secundum Concilium Generale, nempe Conſtantinopolitanum primum, a Theodoſio ſeniore indictum eſt, teſte ipſo Concilio cuius epiſtola ad Imperatorem præfixa Canonibus Cōcilij hæc habet συνελθόντες εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν κατὰ τὸ γράμμα τῆς σῆς εὐσεβείας. *Congregati Conſtantinopoli iuxta tuæ pietatis litteras.* Socrates lib. 5. cap. 7. μηδὲν ὁ βασιλεὺς ὑπερθέμενος σύνοδον ἐπισκόπων συγκαλεῖ. *Rex nulla mora interpoſita ſynodum Epiſcoporum conuocat.* Eadem habent Sozomenus lib. 7. cap. 7. & Theodoretus lib. 5. cap. 9 & Nicephorus lib. 12. cap. 10. Bellarminus lib. 1. de Concilijs cap. 13. nihil habens quod opponeret commentus eſt rem ſumma audacia confictam. *Theodoretus* (inquit) *refert Theodoſium non tam illud indixiſſe, quam literas Pontificis Damaſi, quibus Concilium indicebatur ad Epiſcopos miſiſſe. Sic enim ſcribunt Epiſcopi congregati in illo concilio ad Damaſum Pontificem apud Theodoretum lib. 5. Hiſt. cap. 9. Mandato literarum ſuperiore anno a veſtra reuerentia ad ſanctiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſarum, ad iter tantum Conſtantinopolitanum nos præparauimus.* Hæc Bellarminus, ſed falſa, & ſuo more conficta. Nam Epiſtolæ illæ quarum meminerunt Epiſcopi Orientales qui erant in Concilio, non ſunt Epiſtolæ Damaſi, ſed ſynodi Aquileienſis, cui nequidem

Damaſus

Damaſus interfuit, Neque Epiſcopi orientales ſcribunt ad Damaſum ſolum, ſed ad omnes Epiſcopos Occidentales. Tum verba hæc quæ profert Bellarminus *Mandata litterarum* &c, ſunt cõficta, & falſo aditia a Bellarmino, vt & pleraque illius loci.

Tertia ſynodus generalis fuit Epheſina prima quæ a Theodoſio Iuniore indicta eſt. Teſtis Euagrius lib. 1. cap. 2. dicens. * νεύματι τοῦ νέου θεοδοσίου τὴν ἐν ἐφέσῳ πρώτην σύνοδον ἀθροισθῆναι. Immo & ipſa Synodus cuius Canones ſic incipiunt. Η ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἡ ἐν ἐφέσῳ συγκροτηθεῖσα ἐκ θεσπίσματος τῶν εὐσεβεστάτων βασιλέων. *Sacra & Oecumenica Synodus Epheſi congregata mandato pijſſimorum Imperatorũ.* Niceph. l, 14. c, 34. *Theodoſius Imperialibus litteris ſuis in metropoli Epheſo locorum omnium Epiſcopos conuenire iuſſit.* Eadem dicit Socrates l. 7. cap. 31. Quid contra hæc Bellarminus? Proſper (inquit) in Chronico indicat Synodum Epheſinam factam eſſe Cyrilli induſtria & Celeſtini authoritate. Sed Cardinalis hæc dicit fide qua ſolet, id eſt mala: Neque enim Proſper tale quidquam vſpiam dicit. Sed tantum ait *Impietati Neſtorij obſtitiſſe induſtriam Cyrilli & authoritatem Celeſtini.* Quod ſubdit Bellarminus, Cyrillum in ea Synodo fuiſſe legatum Celeſtini falſum eſſe facile poſſet demonſtrari, ſi id eſſet huius quæſtionis, in qua nobis tantum propoſitum eſt imperatorum & Regum iura aduerſus Pontificum vſurpationes defendere.

Nutu iunioris Theodoſii priorem Epheſi Synodum congregatam eſſe.

Quartum Vniuerſale Concilium fuit Chalcedonenſe, quod a Valentiniano primum poſt etiã

a Martiano conuocatum esse testantur ipsa acta consilij initio primæ actionis his verbis, *In Chalcedonensi ciuitate metropoli prouincia Bythiniæ facta est Synodus ex decreto piissimorum & fidelissimorum Imperatorum Valentiniani & Martiani.* Ipse Martianus id testatur, Lege 4. Cod. de summa Trinitate. *Quæ nunc de Christiana fide, a Sacerdotibus qui Chalcedone conuenerunt per nostra præcepta, statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones definita esse noscuntur.* Futilia sunt quæ contra affert Bellarminus: Martianum rogasse Leonem vt veniret ad Concilium: aut si nequeat, per litteras significaret. Quasi vero non solerent Principes loqui verbis rogantis, etiam cum iubent. Profert quoque quandam Epistolam Episcoporum Moesiæ aut fictam, aut mendacem, nam quis non potius credat ipsis Patribus Concilij quam talibus Epistolis quæ possunt affui concilijs? Maxime cum ipse Papa Leo supplex petierit ab Imperatore ne fieret Concilium alibi quam in Italia nec potuerit impetrare vt mox docebimus?

Concilium Constantipolitanum II. quintum ponitur inter Generalia. Hoc Concilum indixit Imperator Iustinianus. Id testatur Nicephorus lib. 17. cap. 27. *Imperator Iustinianus Sanctam quintam Oecumenicam Synodum, Episcopis Ecclesiarum omnium euocatis coegit.* Ipse Imperator id testatur in Epistola ad Synodum quæ inserta est primæ Collationi Synodi his verbis, *Vocauimus vos ad regiam vrbem, hortantes, &c.*

Tomo 2. Con p. 496 Edit Colon

De sexta Synodo Vniuersali quæ est Constantinopolitana III. habes testimonium Gratiani

Dist.

Dist. 16. Can. Habeo librum. *Sancta Synodus Vniuersalis sexta post promulgatam ab eo definitionem contra Monothelitas Constantino Imperatore qui eam congregauerat non multo post defuncto, &c.* Quin & habes initio Cōcilij Sacras Imperatoris Cōstantini ad Donū Episcopum Romanū & ad Georgium Episcopum Constantinopolitanum indicentes concilium & iubentes, vt Episcopi ad condictam diem & locum conuenirent ad Concilium.

Sed & Constantinus & Irene conuocant Consilium Nicenum secundum vt testatur sacra ad Synodum. Sic loquens. *Huic igitur petitioni annuere tum visū est meoq; nutu iussi conuenire: Immo vt verius loquar Deo sic volente, nobis vero praeeuntibus congregaui vos.* Ipsa Synodus initio Actionis Primae haec habet. *Conueniente vniuersali Synodo qua per gratiā diuinā piumq; illorū Imperatorū decretum congregata est in clarissima Nicensiū Metropoli.* *Actione I. Synodi. Tomo tertio Concil. editionis Colon. p. 51.*

Par veterum Imperatorum authoritas in cogendis Synodis particularibus. Theodoretus lib. 1. cap 27. *Eusebius & Theognius persuadent Imperatori vt Synodum cogeret Caesarea Palestinae.* Et paulo post. *Habebat fidem illis Imperator vt Sacerdotibus, Imperauitq; fieri quod petierant.* Sed non comparente Athanasio iussit Caesar Synodum transferri Tyrum.

Concilium Sardicense ab huius Imperatoris filijs indictum. Sulpitius Seuerus lib. 2. historiae *Res ad Constantinū refertur, iubet ex toto orbe apud Sardicā Episcopos congregari.* Socrates lib. 2. cap. 16. *Edicitur Consilium Generale vt omnes Sardicam commeent idq; de sententia duorum Imperatorum.* Idem

dem testatur Athanasius Apologia secunda. Theodoretus lib 2, cap. 4. *Constantius indicit Concilium Sardicæ.*

Idem Constantius indicit cosilium Mediolani ait Theodoretus lib. 2. cap. 15. Idem paulo post conuocat Concilium Ariminense. cap. 18. Tum aliud Seleuciæ cap. 27. Synodus Aquileiensis sic scribit ad Imperatores Gratianum & Valentinianum. *Iuxta mansuetudinis vestræ statuta conuenimus, &c.* Sigeberti verba sunt ad annum 435. Iussu Valentiniani Imperatoris Romæ congregatur Synodus. Nempe in ipse vrbe Roma Romanus Pontifex non potuit nisi ex Cæsaris Imperio Synodum conuocare.

Tomo. 1. Con. p. 472 editionis Colon.

Ac ne infinita eusmodi exempla consecter, habemus luculentissimum testimoniũ Hieronymi Apol. 2. aduersus Ruffinum, *Responde quæso Synodus a qua excommunicatus est, in qua vrbe fuit? Dic Episcoporum vocabula: profer sententias subscriptionum, vel diuersitatem, vel consonantiam? Doce qui eo anno Consules fuerunt, quis Imperator hanc Synodũ iusserit congregari?*

Hæc quidem a nobis nimia fortasse diligentia prolata sunt. Sed putaui operæpretium palam facere quam contra veritatem historiæ, & suam ipsius conscientiam Bellarminus lib. de Concilijs cap. 13. dicat quæ sequuntur. *Secundo dico posse nos opponere consuetudinem consuetudini, si enim quatuor aut quinque Consilia Imperatores indixerunt plura quam duodecim indixerunt Pontifices, vt aduersarij etiam fatentur.* At hoc nemo nostrum fatetur; Immo nullum inuenietur Consilium alicuius nominis

minis in tota antiquitate quod constet Papæ mandato esse conuocatum. Enimuero cum Imperatores sufficerent sumptos in Synodos, & illi ipsi quos Episcopus Romanus ad Synodus suo nomine mittebat Imperatorum liberalitate alerentur; manifestũ est eos ab Imperatore accitos, & eius voluntate retentos aut dimissos.

Quapropter Bellarminus victus euidentia veritatis fatetur tandem Concilia ab Imperatoribus indicta fuisse, sed ex Pontificum sententia & consensu. § *Lib. Con. cap. 13.* § *Habemus &* § *Quarto.*

Non negauerim quidem preces Episcoporum Romani, Alexandrini, Antiocheni, Constantinopolitani & aliorum, sæpe inpetrauisse ab Imperatoribus vt Concilia conuocarent: sed falsum est consensum Pontificis Romani ad celebrationem Concilij necessarium fuisse. Nam contra videas Episcopos Romanos passim suppliciter petere ab Imperatoribus indictionem Concilij. Sic Liberius apud Theodoretum lib. 2. cap. 16. petit a Constantio vt Concilium velit conuocare. Sed Imperator nequidem vlla responsione super hac re eum dignatus est. Sozomenus lib. 8. cap. vltimo, memorat, Innocentium Episopum vrbis Romæ, misisse quinque Episcopos Ecclesiæ Romanæ, & Presbiteros duos ad Arcadium & Honorium, vt Synodum, eiusque definitum locum & tempus impetrarent, sed hi Legati cum contumelia re infecta dimissi sunt. Leo Papa epist 23. & 31. obnixe petit a Theodosio Synodum eius mandato conuocari in Italia. *Omnes (inquit) mansuetudinem vestram cum gemitibus & lacrymis*

supplicant

supplicant Sacerdotes generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari. Sed frustra fuit Leo, nec habita est eius ratio, sed coactum est Concilium Chalcedone, ad quod Leo misit qui vices suas implerent, qui Imperatoris sumptibus pro more alebantur. Sic cum Imperatores conuocaturi Concilia, solerent ad omnes Episcopos mittere Sacras, indicentes Episcopis locum & tempus Concilij frequentes sunt Sacræ ad Episcopos Romanos, quibus iubentur aut venire ipsi, aut subdelegatos mittere. Concilio sexto Vniuersali præfixa est Diualis sacra ad Donum Episcopum veteris Romæ, in qua imperator sic loquitur: *Per omnia* IVBEMVS *vestram paternam beatitudinem minime effici impedimentum voluntati Dei, sed eos dirigere.* Loquitur autem de mittendis ad Concilium legatis qui Doni vices obeant. Sic Synodo Nicenæ secundæ præposita est Epistola Tharasij Patriarchæ Constantionopolitani sic loquens. *In quam Synodum & nos, & Sacerdotes veri Vicarij. scilicet Papæ veteris Romæ, & Orientis summorum Sacerdotum, preterea Dei amantes Episcopi plurimi secundum mandatum piorum nostrorum Imperatorum conuenimus* Quin & mandatis Imperatorijs comminationes non raro addebantur. Epistolis Constantini ad Synodum Tyri incerta est hæc comminatio. *Quod si quis reiecto & spreto mandato nostro adesse noluerit, delegabimus aliquem qui regia illum authoritate in exilium eiectum docebit hominem minime decere summi Imperatoris preceptionibus ad tuendam veritatem editis resistere.* Eusebius lib. 4. de vita Constantini cap. 42. Parique authorita-

te

te Theodosius apud Nicephorum lib. 14. cap. 34. sic scribit ad omnes Episcopos: *Neminem se vel apud Deũ vel apud homines excusaturũ esse, qui nõ statim ad designatam Sanctæ Pentecostes diem præsto ibi esset.*

Id vero maxime obseruandum, omnia vetera Consilia Romæ habita vix vllius esse ponderis, & vix inter particularia computari. Enimuero in Consilijs vniuersalibus frequens mentio Canonum Synodi Gangrensis, Laodicensis, Neocæsariensis, & Antiochenæ, quæ fuerunt Synodi particulares. At Romanorum Canonum nulla vspiam recitatio. Nec passi sunt Imperatores vllum Concilium vniuersale haberi Romæ nec in Italia. Vnde factum vt Episcopus Romanus priscis Concilijs Vniuersalibus nunquam potuerit interesse, vtpote in quibus sententiæ dicebantur Sermone Græco, qui ab Episcopis Romanis non intelligebatur. Sic ante Concilium Ephesinum Papa Celèstinus prolixé se excusat apud Nestorium, quod eius litteris tardius respõderit, plusculũ enim temporis abiuisse dum Græca Nestorij epistola in Latinũ Sermonẽ verteretur. Ipse Gregorius I. quanquam cognomento Magnus, fatetur tamen se nescire Græce, Epistola 29. libri 6. Erant ergo Legati Romani in Concilijs vniuersalibus κωφὰ πρόσωπα, & pedanei iudices: itaque in Concilio Niceno Osius præcedit. In Constantinopolitano I. Nectarius. In Ephesino primo Anatolius. In Chalcedonensi Cyrillus. In Sexto Concilio Menas & Eutiches. In Niceno II. Tharasius. Sed legatorum Roma missorum, nul-

læ

læ propemodum partes. Præcipue vero dignum est videre quomodo in Concilio Niceno secundo vnus Tharasius Constantinopolitanus regat Concilium, & omnia moderetur, passim loquens & decernens : at legati Romani sedent propemodum muti, suntque singulare exemplum modestiæ.

His opinor satis probatur, Concilia solita indici ab Imperatoribus non modo sine assensu Pontificis, sed etiam contra eius voluntatem. Causam affert Bellarminus eodem capite 13. lib. 1. de Concilijs. *Quarta ratio* (inquit) *est quia eo tempore Pontifex etsi in spiritualibus esset caput omnium, etiam Imperatorum, tamen in temporalibus subijciebat se Imperatoribus, & ideo non poterat inuito Imperatore aliquid agere.* Quin & addit, *Quia Dominum suum temporalem eum agnoscebat, supplicabat vt iuberet conuocari Synodum: At post illa tempora istæ omnes causæ mutatæ sunt.* Habemus ergo confitentem reum, & Bellarminum fatentem Imperatores exutos potestate quam habebant. Quæ si iusta fuit, cur Papa eos spoliauit suo jure? Si iniusta, cur Papa aut aliquis alius eos non monuit, ne jura Papæ Romani inuolarent: & alienam potestatem vsurparent? Cur non saltem cum desierunt Imperatores timeri in Italia. Papæ se suo iure hactenus fraudatos conquesti sunt? Est Ergo notatu digna Confessio Cardinalis, hoc tempore omnia esse immutata : Nam quæ maior mutatio quam cùm qui seruus erat, fit dominus sui domini?

Erit fortasse qui putet prærogatiuam hanc fuisse veteris Romani Imperij, quæ non possit ab alijs

alijs Regibus & Principibus in ſuis Regnis & Principatibus ſine temeritate vſurpari. At & hîc hiſtoriæ poſterioris ſæculi fauent regibus. *Quarta Synodus Romana ſic incipit. Sancta Synodus apud vrbem Romam ex præcepto glorioſiſſimi regis Theodorici diuerſis è regionibus congregata.* Nam quæ paulo poſt dicuntur ab Epiſcopis, aſſerentibus Symmachi fuiſſe Synodum conuocare, vt dicta a ſuffraganeis Epiſcopi Romani eique obnoxijs, nullius ſunt momenti. Initio Concilij Aurelianenſis I. Epiſcopi Regni Franciæ ſic alloquuntur Regem Clodouæum. *Domino ſuo Catholicæ Eccleſiæ filio Clodouæo glorioſiſſimo Regi, omnes ſacerdotes quos ad concilium venire iuſſiſtis.* Aruernenſe concilium non longe ab initio hæc habet. *Cum in Dei nomine congregante ſancto ſpiritu, conſentiente Domino glorioſiſſimo pioque rege Theodeberto in Aruerniam vrbem ſancta Synodus conueniſſet.* Aurelianenſe Concilium V. hæc habet. *Cum clementiſſimus princeps triumphorum titulis inuictiſſimus Childebertus Rex pro amore ſacræ fidei ſtudio religionis in Aurelianenſium vrbem congregaſſet in vnum Sacerdotes.* Sub eodem Rege Pariſienſe Concilium ſic incipit. *Cum in vrbem Pariſienſem ad inuitationem Domini regis glorioſiſſimi Childeberti veniſſemus.* Toletani Concilij III. primum caput tale eſt. *Cum pro fidei ſuæ ſinceritate idem glorioſiſſimus princeps Reccaredus omnes regiminis ſui Pontifices in vnum conuenire mandaſſet.* Matiſconenſis Synodus ſic incipit. *Cum ex euocatione glorioſiſſimi Domini Guntramni Regis noſtra mediocritas conueniſſet.* Idemque initium Synodi Valentinæ ſub eodem Rege

Vide Sigeb. ad annum 512.

Rege & Synodi Bracarensis primæ sub Ariano Rege Gottho. Longum esset referre Concilia quæ Aquisgrani, Parilijs, Francofordi, Moguntiæ a Pipino, Carolo magno, Ludouico Lothario, Carolo Caluo &c. conuocata sunt, nulla facta mentione Papalis mandati, immo nec suasionis. Lege Sigebertum ad annum 813.

Quid quod illo ipso tempore quo plene reuelatum erat mysterium iniquitatis, & Papæ principum capitibus insultabant, Imperatores tamen & Reges ausi sunt cogere concilia, non modo sine Papa, sed & contra Papam? Sic anno 959. Otho conuocauit concilium Romæ aduersus Iohannem XII. & Henricus III. secutus exemplum, frequenti Concilio tres Papas abdicauit, Benedictum 9. Syluestrum 3. & Gregorium 6. quos Platina appellat tria monstra. Ac ne superuacuis immorer, nouissime Ludouicus XII. Galliæ Rex, indicto Pisis Concilio Iulium II. damnauit.

Aduersus hæc Bellarminus nihil habet quod ex Antiquitate opponat, nisi quendam canonem quem vocat Antiquissimum, vetantem celebrare Concilia præter sententiam Episcopi Romani. Verba sunt Iulij I. apud Socratem lib. 2. cap. 17. vbi Iulius Synodi Antiochenæ authoritatem conatur infringere quia ipse non fuerat vocatus ad Synodum τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας, id est, *Ne absque sententia Episcopi Romæ Ecclesiis decreta sanciantur*. His similia refert Sozomenus lib. 3. cap. 9. Quin & Bellarminus citat Synodum Alexandrinam asserentem in Epistola ad Felicem

In versione est cap. 13.

id a Concilio Niceno esse constitutum.

Principio epistola illa seu genuina est, seu suppositia, pugnat cum veritate. Nam ea de re in Concilij Niceni Canonibus οὐδὲ γρῦ. De cuius Concilij canonum numero etsi varie disceptatur, constat tamen non plures quam viginti Canones de Ecclesiastica politia ibi esse constitutos. Teste ipso decreto Romano Dist. 17. Can *Viginti*. Theodoretus lib. 1. Hist. cap. 8. περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πολιτείας νόμους ἔγραψαν εἴκοσι. & Concilio Carthaginensi sexto recitantur viginti statuta Niceni Concilij plané similia viginti Canonibus quæ hodie extant. Neque istud Conciliū Alexandrinum vspiam extat.

Quanta vero improbitate conficta sint Epistolæ insertæ Tomis Conciliorum, siue sint Decretales Paparum, siue Epistolæ Concilijs assutæ notum est omnibus, & Bellarminus passim agnoscit. Tum notum est Papas pridem solitos supponere falsos Canones Concilij Niceni, vt patuit in Synodo Africana vbi Bonifacius & Celestinus conabantur obtrudere Afris fictum Canonem Synodi Nicenæ, vt sub hoc obtentu prouocationes Ecclesiarum Africanarum ad se traherent. Quam ob fraudem grauiter corripitur Celestinus ab Episcopis Afris in Epistola Synodo Africanæ inserta.

Fac tamen Iulium non mentitum, & fuisse hanc Ecclesiasticam constitutionem: nihil tamen ad rem facit, non enim hoc canone datur authoritas Episcopo Romano cōuocandi Concilia, sed decernitur tantum non debere sine eo

concilia celebrari, aut Canones condi: Quod fuit priuilegium omnium Patriarcharum, quibus non conscijs & non vocatis non debebat Concilium generale conuocari. Inde est quod Iohannes Antiochenus ausus est Cyrillum excommunicare, quod se non expectato Synodum Ephesinam inchoasset. Mirum vero quod Synodus Constantinopolitana prima censetur Vniuersalis, ad quam tamen Episcopus Romanus non fuit vocatus, nec adfuit, per se, nec per legatos. Neque conquestus est sibi fieri iniuriam & canonem istum violari, qui nondum innotuerat.

Cætera quæ Bellarminus affert, Christum commisisse Ecclesiam Petro, non Imperatori,& eiusm odi leuicula, nituntur duabus falsis suppositionibus quarum prima est Christum Petro soli commisisse omnes suas oues, eumque habuisse iurisdictionem in cæteros Apostolos. Altera Papam esse successorem Petri non modo in Episcopatu Romano, sed & in Apostolatu, & officio capitis Ecclesiæ, Quæ quia sunt maxima αἰτήματα,& a nobis alibi confutata, nobis hic satis sit hæc simpliciter negare.

Neque vero dici potest, conuocationem Concilij generalis aut nationalis, rem esse mere Ecclesiasticam, ideoque ad Pastorum tantum curam pertinere. Nam etsi decernere de Controuersijs fidei res sit mere Ecclesiastica, designatio tamen loci & temporis Concilij, res est ciuilis & cognitionis Regiæ. Tum Regis est videre ne sub religionis obtentu ciuilia tractentur, vnde digni-

tas regia aut Reipub. status aliquid detrimenti capiat. Adde quod causarum Ecclesiasticarum & politiæ maxima sæpe est cognatio, & breue confinium. Nec omittendum quod in Concilijs subnascuntur iurgia & simultates inter Episcopos, quæ Principis authoritate sæpe necesse est aut incidi aut solui: quod factum est a Constantino in Concilio Nicæno, cum libellos supplices Episcoporum de mutuis iniurijs expostulantium sua manu cremauit. Tum ad ea exequenda quæ a Concilio decreta sunt opus est Magistratus auxilio. Quod si insuper ad synodos habendas ab Imperatore aut Rege sumptus suppeditantur, non mirum est si ad earum conuocationem Principis expectatur Imperium. Certe si vnus aliquis Episcopus iure diuino præesset omnibus Ecclesijs orbis aut Imperij, facilius concedi posset non posse conuocari concilia absque eius assensu aut voluntate: At cum Dei verbum nulli pastori Es.49.23.
det tantam authoritatem, non alium inuenies cui Deo authore imposita sit cura Ecclesiarum Ep.24.
totius Imperij, quam Imperatorem aut Regem, qui cælestis oraculi voce nutricius Ecclesiæ nuncupatur, & cuius fidei & industriæ Ecclesia Dei commissa est. His omnibus fidem astruit, quod si totam scripturam sacram euoluas, nuspiam inuenies imperata Concilia Vniuersalia, quorum etsi magna vtilitas (quicquid contra sentiat Nazianzenus) dummodo absit tyrannis, & sacræ Scripturæ iudicio stetur, certum est tamen consuetudinem istam magis niti salutari prudentia quam institutione diuina. Nec si Deus talia con-

ἔχω μὲν οὕτως, εἰ δεῖ τἀληθὲς γράφειν, ὥστε πάντα σύλλογον φεύγειν ἐπισκόπων, ὅτι μηδεμιᾶς συνόδου τέλος εἶδον χρηστόν.

cilia diserte iussisset, possent tamen Reges ab eorum conuocatione excludi. Cuicunque soli ad præclarum opus & salutare Ecclesiæ peragendum Deus vires largitus est, debet credere se ad illud præstandum a Deo vocari, nec sibi soli concessas vires Ecclesiam adiuuandi vt torpeant inutiles.

His de causis προεδρία quam nos præsidentiam vocamus concessa est Imperatoribus sine controuersia in Generalibus concilijs.

Constantinus præsidet Concilio Niceno teste ipso Papa Melchiade Can. Futuram. Causa. 12. quæst. 1. *Idem Constantinus præsidens sanctæ synodo quæ apud Nicæam congregata est.* Eademque verba habentur Can. *Continua.* Causa 11. Quest. 1. Id ipsum testantur gesta a Constantino in Synodo, vbi inciuilius se gerentes repressit, dissidentes conciliauit, libellosque supplices Episcoporum cremauit. Quapropter ab Eusebio vocatur κοινὸς ἐπίσκοπος, quasi diceres *Episcopum vniuersalem.* At legatos Romani pontificis Vitum & Vincentium in quartum locum rejicit Sozomenus. lib. 1. cap. 17. Subscribunt autem secundo loco, post Hosium, hoc modo

Hosius Episcopus ciuitatis Cordubensis prouinciæ Hispaniæ dixit, Ita credo sicut superius scriptum est.

Victor & Vincentius presbyteri vrbis Romæ: pro venerabili Papa nostro subscripsimus.

Hosium vero asserere fuisse legatum Episcopi Romani, nullo teste, sed ex mera coniectura, summæ est temeritatis. Nam nemo veterum hoc dicit,

cit, Tum subscriptiones non fuissent seorsim positæ, sed vno filo sic subscripsissent: *Hosius, Vitus & Vincentius legati Papæ Romani subscripsimus.*

Imperator Theodosius senior interfuit primo Concilio Constantinopolitano: testis Zonaras Annal. Tomo. 3. & Theodoretus lib. 5. cap. 9. vnde isti synodo accreuit authoritas. Cum enim eodem tempore Damasus Episcopus Romanus celebraret Concilium in Italia: ad quod etiam Episcopos Orientales inuitauerat, Synodus tamen constans solis Episcopis Orientalibus, cui Damasus nec per se interfuit nec per legatos, immo quam Damasus impedire voluit & in Italiam transferre, censetur vniuersalis. Ex aduerso Synodus cui præfuit Damasus vix est alicuius nominis, & est infra plurima Concilia particularia.

In Epistola Synodica Constantinopolitana Synodi ad Damasum, Ambrosiu, &c.

Tertiæ synodo, quæ fuit Ephesina. 1. Leo Papa Epistola. 45. ait Cyrillum Alexandrinum præsedisse & in Cod. lib. 1. tit. 8. cap. 8. sic scribitur *Ephesina Synodus cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit.* Quem honorem cum Leo sciret vltro deberi Cyrillo, viro inter sui æui Episcopos facile Principi, Leo Romanus noluit interesse Concilio, sed astute Cyrillum rogauit vt partes suas impleret. Imperator vero non interfuit Concilio, sed cum audiret res in Concilio per tumultum geri, euocauit ad se patres Concilij vt de re tota cognosceret. Nicephor. lib. 14 cap. 35. Sic Augustus quamuis procul ab Epheso, Ephesinæ tamen synodo moderabatur.

Leo ep. 45. Prioris autem Ephesina Synod cui sancta memoria Cyrillus tunc præsedit. &c.

Secunda Synodus Ephesina vtcunque desierit, turpiter, & λῃστρικὴ dicatur, congregata tamen

est legitimè, quippe indicta mandato Imperatoris, & firmata consensu omnium Patriarcharum, qui omnes adfuerunt excepto Leone Romano, qui conscius sibi ignorantiæ sermonis Græci, & metuens alteri postponi, Iulium misit qui suas vices obiret. Dioscorus vero Alexandrinus ab absente Imperatore iussus est præsidere Synodo, vt testatur Epistola Imperatoris ad Dioscorum inserta primæ actioni synodi Chalcedonensis, in qua Imperator sic affatur Dioscorum: *authoritatem & primatum tuæ prabemus magnitudini*: Hic vero Bellarminus suo more falsarius est, dum ait Dioscorum extorsisse præsidentiam illam ab Imperatore, idque probat testimonio Zonaræ & Euagrij lib. 1. cap. 10. apud quos hac de re ne verbum quidem.

Synodum Chalcedonensem Marcianus Augustus aperuit, præfatusque est grauiter & sancte. Idemque Iudices dedit synodo, viros Patricios, Exconsules, Magistros, Comites, qui longa serie recensentur initio primæ Actionis, ex quorum auctoritate pendebat Synodus & nihil fiebat nisi cum eorum venia; Iidem tumultuantes Episcopos compescebant. Sic prima Actione cum cuncta clamore confuso perstreperent, *Gloriosissimi Iudices & Amplissimus senatus dixerunt Acclamationes istæ populares neque Episcopos decent, neque partes iuuant, patimini ergo vniuersorum fieri lectionem*. Iidem siquid dubij inciderat, quid fieri aut statui oporteret decernebant, Sic apud Euagrium lib. 2. cap. 4. *οἱ ἀπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς ἐψηφίσαντο τάδε*. Hi in medio sedebant, pro cancellis sacræ

mensæ

mensæ seu altaris, considentibus a læua vicarijs Episcopi Romani,& Anatolio Episcopo Constãtinopolitano: a dextris vero,(quæ sedes erat dignior læuâ), Dioscorus Alexandrinus & Iuuenalis Hierosolymitanus. Cæterum ex Actis constat præcipuas partes fuisse Anatolij qui & frequentissimè loquitur, & ante legatos Episcopi Romani.

Concilio Constantinopolitano II. non præfuit quidem Iustinianus, sed voluit Menam Patriarcham Constantinopolitanum ei præesse, legatos vero Episcopi Romani ei assistere, vt testatur Actio Prima consilij his verbis. *Post consulatum Clarissimi Flauij Bellisarij pridie Nonas Iunias indict. 14. in Deo amata & regia vrbe Constantinopoli, præsidente autem sanctissimo & beatissimo Domino nostro Oecumenico & Patriarcha Mena & a dextera quidem parte consi entibus illi coadiutoribus iuxta pium iussum a Christo amati & Deo custoditi Imperatoris Iustiniani excellentissimis & sanctissimis Episcopis Sabino Canusij, Epiphanio Esculanorum &c. ex Italica regione ab Apostolica sede nuper missis.* Frustra vero hic disputatur an hæc synodus inter initia fuerit Vniuersalis, satis nobis est Menam præsedisse,& locũ coepisse ante episcopi Romani legatos, iussu Imperatoris, Nam si Papa est caput vniuersalis ecclesiæ; siue loco depellatur in generali synodo siue in particulari, par est iniuria.

Sextæ synodo Constantinopolitanæ præsedit Constantinus Augustus, vt testatur ipsa synodus Actione prima *Præsidente eodem pijssimo & Christo dilecto*

delecto magno Imperatore Constantino in secretario magni palatij quod cognominatur Trullus. Eademq; verba repetuntur fere in singulis Actionibus statim ab initio. Sed tota Synodo passim loquuntur iudices ab Imperatore electi, & pro suo iure decernunt.

In Nicena quoque Synodo secunda vbique fit mentio Gloriosissimorum Iudicum qui ab Imperatore dati fuerant Synodo.

Synodo Francofurdensi præsedit Carolus Magnus vt testatur ipsius Synodi Epistola ad præsules Hispaniæ. Anno Christi 963. Otho Magnus Synodum coegit Romæ in qua & præsedit, Testes Lambertus Scafnaburgensis & Regino. Sic & Annales Gallici pleni sunt exemplis Regum præsidentium Synodis. Iohannes Maior secunda parte scismatum dicit sub annum *1226.* venisse in Galliam Legatum, cui *Romano* erat nomen, Regisque assensu conuocatam Synodum cui Rex & Legatus præsederunt. Anno 1286. Philippus Pulcher habuit Concilium aduersus Bonifacium VIII, Idem Iohannes Maior docet Ludouicum XI. coegisse Concilium Ecclesiæ Gallicanæ, nec non vniuersitatum in ciuitate Aurelianensi ad explicandam quæstionem de Pragmatica sanctione, eique Concilio Præsedisse Ducem Petrum Burbonium Regis loco. Willelmus cognomento conquestor Angliæ Rex & Normanniæ Dux, concilium habuit Rotomagi anno 1073. in quo ipse præsedit, testis Matthæus Westmonasteriensis.

Neque vero per hæc facio Reges aut Imperatores

res summos iudices de capitibus fidei. Aliud enim est præsidere Concilio, aliud iudicare de fide. Potest Princeps moderari Concilio & prouidere vt omnia fiant decẽter, & cerebrosiores si qui sunt in ordinem cogere, & ad imitationem Constantini hortari Episcopos vt ex diuinis oraculis dirimant controuersias: nec tamen idcirco ius sibi arrogare decernendi summo iure de articulis fidei, nec sibi tribuere ἀναμαρτησίαν vt Pontifex, aut omnia iura inclusa scrinio sui pectoris. Sed neque video causam cur Rex quoque non possit in Concilio dicere sententiam de Religione, cum & ipse a Deo vnctus sit, & Ecclesiæ cura ei demandata: & probi Reges sub veteri Testamento, immo & sub nouo Ecclesiam sæpe ordinauerint & emendauerint, & rectæ fidei sint patrocinati.

Cap. XVII.

Concilia posterioris æui, & a veterum Conciliorum forma, & doctrina plurimum abcessisse. Forma & ordo Conciliorum Papalium exponitur.



Voties cunque aliqua controuersia mouetur super capitibus fidei, & Ecclesia Romana coram tribunali sacræ scripturæ corruptæ religionis accersitur, illico Conciliorum Maiestas nobis opponitur, quasi caput Medusæ, quod homines iniecta religione obstupefaciat, & nos exceptione rei iam iudicatæ summoueat Hæc quidem oggeruntur

runtur imperitis, at eadem ab hominibus non plane ignaris antiquitatis excipiuntur risu. Nam vt vetera Concilia veneramur, & eorum fidem agnoscimus esse consentaneam sacræ scripturæ, Sic vicissim in Concilijs posterioris æui nihil agnoscimus quod accedat ad puritatem & simplicitatem Conciliorum antiquorum, siue doctrinam spectes faciem externam & ordinem.

Cōtinentiam cum propria vxore concubitum.

Atque vt ordiar a doctrina, Synodus Nicæna assensa est Paphnutio vocanti σωφροσύνην τὴν πρὸς τὰς ἰδίας γυναῖκας συνουσίαν, & patrocinanti matrimonijs clericorum, vt refert Sozomenus lib. 1. cap. 23. & Socrates lib 1. cap. 8. & Nicephorus 8. lib. cap. 19. Immo & Decretum Romanum, Dist. 32. Can. Nicena.

Synodus Eliberina Nicenæ σύγχρονος can. 36. *Placuit in Ecclesia picturas esse non debere, ne quod adoratur in parietibus depingatur.*

Synodi Laodicenæ Canon vltimus, libros Tobiæ, Iudith, Maccabæorum &c. ex Canone scripturæ exterminat. Cuius Concilij tanta fuit authoritas, vt eius Canones essent inserti Nomocanoni, qui initio Conciliorum Vniuersalium solebat legi. Eademque Synodus approbatur a Synodo sexta Vniuersali Truilanæ.

Synodus Chalcedonensis Actione 15. decernit Episcopum Constantinopolitanum æqualia habere priuilegia cum Episcopo Romano, & æqualem ei esse in omnibus rebus, etiam in Ecclesiasticis.

Synodus Charthaginensis III. Can. 26. hæc habet. *Vt primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps*

ceps Sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.

Synodus Carthaginensis IV. libros Maccabeorum ex Canone expungit, si fides potius habetur Græcis Canonibus editis a Tileto & Balsamone quam Tomis Latinis Conciliorum fœde corruptis.

Synodus Africana, cui præfuit Aurelius, interfuit Augustinus monet grauissima epistola Celestinum Episcopum Romanum, ne fumosum typhum seu fastum sæculi in Ecclesiam introduceret: nec causas Africæ ad se traheret, nec Nicenæ Synodo falsos Canones affingeret, malisque artibus ad suam ambitionem velificaretur.

Concilium Mileuitanum in Africa can. 22. agens de ijs qui damnati sunt a proprijs Episcopis hæc ait. *Quod si & ab eis prouocandum putauerint non prouocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Prouinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putauerit appellandum a nullo intra Africam in communione suscipiatur.* Per transmarina autem Italiam intelligi nemo ambigit.

Concilium V. & VI. Generale Honorium Episcopum Romanum damnat hæreseos, & vt Monothelitam infamat, iubetque eius nomen eradi ex diptychis.

Concilium sextum, quod Canones in Trullo condidit. Can. 13. sancit & probat coniugia Clericorum, vetatque dissolui; quin & nominatim ac diserte damnat morem Ecclesiæ Romanæ adimentem diaconis & presbyteris coniuges.

Idem Concilium Canone 55. damnat Ecclesiæ Romanæ

Romanæ more ieiunandi Sabbatho in Quadragesima, iubetque eam discedere a praua consuetudine sub pœnis constitutis Canone Apostolorum Sexagesimo quinto. καθαιρέσεως in clerico, ἀφορισμοῦ in laico. An hæc Synodus credidit Ecclesiam Romanam errare non posse.

Depositionis & segregationis.

Idem Concilium Can. 32. profert canonem Synodi Carthaginēsis cuius hæc sunt verba, *In sacris nihil plus quam corpus & Sanguis Domini offeratur, vt ipse Dominus tradidit, id est panis & vinum aqua mixtum.* At Ecclesia Romana non probat hanc interpretationem verborum Christi in Sacramento.

Concilium Constantinopolitanum IV. 338. Episcopis frequens, Sacramentum quod à fidelibus in Eucharistia accipitur, vocat *Viuificantis corporis imaginem*, eoque nomine reprehenditur a Pseudosynodo Nicæna II. Actione 6. eademque Synodo damnantur & abolentur imagines. Quod decretum a Synodo Francofordensi sub Carolo Magno, & a Synodo Parisiensi sub Ludouico Pio confirmatum est.

Ac ne singula consecter, Papa & eius adulatores commenti sunt nouum dogma quo patres omnes veterum Conciliorum stultitiæ & ridiculi stuporis incusantur. Nam si Papa loquens vt Papa & de cathedra Papali non potest errare in fide, quid attinebat tam operosa, tantis sumptibus, concilia conuocare? Et Episcopos per totum Imperiū Romanū abstrahere a suis Ecclesijs per plusculos annos, qui in deliberādo de rebus fidei insumebantur? Cur non potius simul ac enata erat aliqua controuersia,

controuerſia, conſulebant Papale oraculum & Pontificem his verbis per epiſtolas compellabãt: *Supplices rogamus tuam Sanctitatem vt hanc controuerſiam nobis enodet, & ad quæſita reſpondeat non vt homo, ſed vt Papa, non quidem loquens, eſſe de priuata, ſed e cathedra Pontificali.* Hæc ſane via fuiſſet longe compendioſior, immo & certior. Eſt enim lõge tutius habere vnum iudicem quem ſcias non poſſe labi, quam multos quorum ſinguli ſint errori obnoxij, & quos in Concilio (vt fit) videas plerunque inter ſe commiſſos. Hoc quidem ignorauit antiquitas, nam in Concilijs Legati Epiſcopi Romani ſententiam ferebant, cùm cæteris & Pontificis ſui fidem & ſenſum exponebant, in quorum ſententiam non ſemper diſcedebatur, ſed multa decernebantur, inuitis legatis Epiſcopi Romani, & contra obteſtantibus: vt factum in Synodo Calcedonenſi & in Africana.

Eſt quoque περιεργοῦ κόμματος & in priſca Concilia contumelioſum illud quod magna contentione defenditur, ea demum Concilia eſſe bona & legitima quæ a Papa fuerint probata, hæc autem approbatio non poteſt fieri niſi poſt concilium. Ego ſane, qui meus eſt ſtupor, putaueram Papam approbare Concilia quia bona ſunt. At nunc contra eſt: nã bona cenſentur quia Papa ea probauit. Ergo & dicendum erit Concilium errauiſſe quia Papa illud improbat, vnde conficitur vt nondum errauerit antequam Papa illud improbaret. Ridicule plane. Neque enim approbato Concilij facta poſt Concilium, poteſt efficere ne Concilium errauerit. Omnino qui inconſulto Papa conuocat

uocat Concilium, non expectat eius approbationem: At iam docuimus pleraque vetera Concilia fuisse conuocata ab Imperatoribus, inconsulto Papa, quædam etiam inuito. Neque credibile est Synodum Sextam vniuersalem damnantem Honorium Episcopum Romanum, ab Episcopo Romano istius damnationis approbationem expectauisse. Aut Papam posse aut debere constitui judicem eorum decretorum in quibus Papa damnatur, eumque in sua causa debere esse judicem. Quod si Papa sit a fide deuius, vt dicitur Can. Si Papa Distinct. 40. & super hæresi a Concilio damnetur, an hæc sententia tunc demum erit rata, quando Papa ad suam ipsius condemnationem conuocauerit Concilium, & ipse se reum sistere voluerit, & sententiam in se latam probauerit? Longum in tempus expectationem nostram extrahit qui sibi in tam inepta spe blanditur.

Sed neque consentaneum est potius adhibendam fidem vni Episcopo Romano quam Sexcentis triginta Episcopis pijs & probis ex toto Romano orbe conuocatis (totidem enim fuerunt Calcedone): & cum agitur de ipsius Papæ dignitate, potius credendum soli Papæ quam Concilio vniuersali.

Hæc pauca de doctrina veterum Conciliorum. De forma vero seu ordine externo dictum est abunde capite præcedenti.

Cum his qui contulerit Concilia posterioris æui, quæret Concilium in Concilio, nec quidquã inueniet nisi fœdam corruptelam & drama ad

Pontificis

Pontificis libidinem confictum. Denique coetum nihil differentem a Consistorio Papali, nisi quod numerus amplior est, & maior splendor. De doctrina quædam libabimus, post de ordine seu forma externa. Concilium Nicenum II. anno Christi 787. coactum est: in quo Episcopi Romani authoritas parua fuit, sed eo tantum annitente fœdi errores sunt stabiliti: Nam in hoc Concilio anathema dicitur hæsitantibus circa adorationem imaginum, & decernitur imagines esse adorandas, & Iconomachorum error pronunciatur pessimus omnium hæreseon. Actione quarta imagines asseruntur æquipollere sacris Euangelijs, & eadem Sessione *Maior est imago quam oratio*. Et Actione quinta: *Ecclesia sentit Angelos non omnino esse corporis expertes & inuisibiles, verum t. n i corpore præditos & aereo siue igneo.* En puritatem & sanam fidem Concilij quod Generale vocatur, & probatur ab Ecclesia Romana.

Anno Christi 1215. sub Innocentio tertio Concilium Lateranense Romæ celebratum est, Cuius capite primo asseritur, & credi iubetur transsubstantiatio panis in corpus Christi. Capite tertio eiusdem Concilij tribuitur Papæ potestas liberandi subditos a fidelitate seu subiectione Principum, & tradendi ditionem eorum alteri occupandam. Annexa est Concilio bulla Expeditionis ad recuperandum terram sanctam, cuius hæc sunt verba. *Omnibus qui laborem proprijs personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum de quibus liberaliter fuerint corde contriti & confessi veniam indulgemus: & in retributione iustorum*

rum salutis æternæ pollicemur augmentum. Vir singularis modestiæ, promus, condus thesauri cœlestis, promittit peregrinis gradum felicitatis supra vulgus sanctorum. Quid quod in vltimo Iudicij die se cum Deo fore iudicem profitetur? Sic enim alloquitur tardos aut ingratos: *Sciant se super hoc nobis in nouissimo die districti examinis Dei coram tremendo iudice responsuros.*

Anno Christi 1414. habita est synodus Constantia, In qua damnatus Iohannes XXIII. ob multa crimina, quorum hoc vnum est quod negaret immortalitatem animarum, Sess. XI. Idem Concilium iudicauit fidem datam hæreticis non esse seruandam, crematis per fidem & contra fidem publicam Iohanne Hus & Hieronymo Pragensi, qui ἄδειαν seu saluum conductum veniendi ad Concilium habebant, interposita fide & iusiurando Imperatoris Sigismundi: At Concilium censuit Imperatorem non debere fidem seruare. Decretum consilij ita conceptum est. Sess. XIX. *Præsens S. Synodus nullum impedimentum præstari posse seu debere declarat, quo minus dicto saluo conductu non obstante, liceat Iudici competenti, & Ecclesiastico de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusauerint, etiamsi de saluo conductu confisi, ad locum venerint iudicij, alias non venturi: nec sic promittentem cum fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remanere obligatum.* Eiusdem Concilij sessione XIII. Concilium agnoscit Christum sub vtraque specie administrasse suis discipulis Sacramen-

mentum panis & vini, & ita receptum esse hoc Sacramentum a fidelibus in primitiua Ecclesia. Nihilo secius tamen præclara synodus decernit consuetudinem dandi populo alteram tantum speciem habendam esse pro lege, *& pertinaciter asserentes oppositum tanquam hæreticos arcendos & grauiter puniendos. &c.* Parum absuit quin veneranda synodus Christum ipsum notaret hæreseos, aut inquisitioni subijceret: si quidem Christum imitari eique obsequi hæresis est plectenda supplicio.

Concilium Florentinum Anno Christi 1440. sessione vltima decernit Ecclesiam Romanam posse addere symbolo. Papam obtinere primatum in vniuersum orbem, & esse caput totius Ecclesiæ, & Purgatorium esse credendum.

Consilium Lateranense vltimum sub Iulio II. & Leone X. nihil reliqui fecit ad summam impietatem. Sessione primâ sacræ scripturæ ponuntur ad pedes Pontificis & adhibito iuramento ab officialibus tanguntur. Eadem sessione Papa vocatur *Princeps totius Orbis*, & Iulius dicitur Petri successor, authoritate non minor Petro. Sessione secunda Papa dicitur *Sacerdos & Rex, vniuersis populis adorandus, & Deo simillimus.* Sessione tertia Galliæ regnum interdicto subijcitur a Iulio II. Nundinæ Lugduno Geneuam transferuntur, Res nempe synodalis cognitionis, & antiquorum conciliorum imitatio. Sessione quarta pragmatica sanctio aduersa cauponationi Ecclesiasticę rescinditur, Papa asseritur tenere locum Æterni Regis in terris quanquam Imparibus meritis. Insigne

ſane exemplum demiſſionis animi fateri ſe Deo meritis imparem. Seſſ. quinta Iulius Moritur, Leo ſuccedit quem affatur ſynodus per Modruſienſem Epiſcopum, & hic quidem ſic compellat Eccleſiam. *Ne fleueris filia Sion, quia ecce venit Leo de tribu Iuda, radix Dauid. Ecce tibi ſuſcitauit Deus ſaluatorem &c. Te Leo beatiſſime ſaluatorem expectamus, te liberatorem venturum ſperauimus.* Seſſio VIII. iubet obſeruari decreta in ſynodo ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ a qua nemo, niſi a Romano Pontifice (excepto mortis articulo) abſolui poſſit. Seſſione IX. Leo edicit imperatori, Regibus &c. ne venientes ad Concilium impediant, *ſub diuinæ (inquit) maieſtatis & indignationis noſtræ incurſu & pœnis &c.* Parum fuerat obtendere diuinam maieſtatem, niſi papalis indignatio ad maius pondus adderetur. Eademq; ſeſſione blaſphemantibus indicitur pœna his verbis. *Laicus blaſphemans, ſi nobilis fuerit pœna 25. ducatorum multetur, & pro ſecũda vice 50. Fabricæ baſilicæ principis Apoſtolorum de vrbe applicandis.* Tales pœnas a veteribus inflictas, ſane non memini. Eademque ſeſſione ſynodus per Antonium Puccium Clericum Cameræ ſic affatur Papam. *Diuinæ Maieſtatis tuæ conſpectus rutilanti cuius fulgore imbecilles oculi mei caligant. & paulo poſt. Regale pontificum Romanorum genus.* Tum illud: *In te vno vero atque legitimo Chriſti & Dei vicario, propheticum illud debuit rurſus impleri, Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Quid quod additur *Non ignari omnem tibi vni in cœlo & in terra traditam a Domino poteſtatem.* Tum Eccleſia inducitur

tur ſic alloquens Papam. *Haccine ego ſuauiſſime ſponſe, vnica illa dilecta tua atq; formoſa, quæ iam clamare poſſum Noli me conſiderare quia fuſca ſum. &c.* Toto vero concilio nulla deliberatio inter patres, nulla ſuffragia, ſed Manliana imperia Papæ iubentis & decernentis. Initium Decretorum tale eſt. *Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, approbante concilio &c.* Sed Concilij nomen dicis cauſa additur & tantum ad ſpeciem. Enimuero Concilium Papæ decreta lecta per aliquem ex patribus, nutu approbabat dicens *Placet.* Hoccine poteſt appellari Concilium? aut quid ſimile vnquam factum aut vſurpatum in veteribus ſynodis? Hæccine nobis Concilia obtrudi! quæ nil niſi bullas crepant & fulmina, & horrendas in Deum blaſphemias? Sed neque omittenda eſt Leonis bulla aſſuta Concilio in qua Lutheri horrendæ hæreſes longa ſerie percenſentur, interquæ duæ ſunt quæ ſummo ſcelere referuntur inter hæreſes. Hæreſis Lutherj ſeptima hæc eſt *Optima pœnitentia, noua vita.* Hæreſis 26 hæc eſt. *Certum eſt in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei.*

Quid Concilium Tridentinum memorem, quod cœptum eſt Anno 1545. deſijt anno 1567? tantum temporis abſumptum eſt in nobis damnandis indicta cauſa, & texendis articulis ambiguis, & ſenſum Patrum vltro abſcondentibus. Paulus III. indixit hoc Conciliũ: Bulla indictionis ait conſilium indictũ ad extirpandas hæreſes, ſic enim vocat noſtram religionem. Vt iam ante conſilium adimeretur ſpes reformationis, & iam

ante initam deliberationem prædamnaremur. Quarta demum ſeſsione attinguntur fidei capita quæ ſunt controuerſa, ibique ſtatim ab initio nulla diſquiſitione facta, & ſine examine, decernitur *Traditiones pari cum ſcriptura pietatis affectu & reuerentia ſuſcipiendas & venerandas.* Scripturam quoque non eſſe interpretandam *contra eum ſenſum quem tenuit & tenet mater Eccleſia &c.* Denique contra omnem legitimum ordinem concluſio ponitur ante præmiſſas, & abſque examine vllo confirmatur & probatur doctrina Eccleſiæ Romanæ, & in ipſo limine canitur ἐπινίκιον. Tota vero actio tam tyrannicè geſta eſt, & tanta verſutia ſeſsiones in longum extractæ, vt Noſtri Reges & gens tota quanquam Pontifici plus æquo addicta, conſilium hoc reſpuerit, nec potuerint vnquam in Gallia leges iſtæ perferri.

Hæccine ſunt illa Concilia quæ nobis obtruduntur vt exceptione omni maiora & aduerſus quæ nefas ſit hiſcere? Vbi hic frons? Vbi minima pietatis gutta? His quidem mandes ſi quid recte curatum velis. Ita Deus Eccleſiæ ſuæ afflictæ faueat, vt hæc Concilia ſunt mera aduerſus Chriſtum & Euangelium conſpiratio.

Forma et ordo cōciliorum Papalium. Quæ vero ſit forma horum Conciliorum, quis ordo ſeruetur, paucis accipe. Principio a Papa cōcilium indicitur, locus & tempus deſignatur. In interioribus templi adytis deſignatur area, quæ includitur aſſeribus: In capite areæ erigitur thronus adquem tribus gradibus aſcenditur, cuius planum in ſummo latum eſt palmos decem, longus duodecim. Ibi locatur ſedes Papalis, cui imminet

net aureus vmbo: vtrinq; ſcabella duo, ſedes Diaconorum miniſtrantium Papæ. Ad dextram Pontificalis throni locatur ſedes imperatoris, nullo vmbone tecta, habens præ ſe ſcabellum exiguũ viride: Huius ſedis Imperialis ſumma pars ne altior ſit pedibus Papæ ſedulo vetatur Regibus ſi qui adſunt, dantur, ſedes poſt Imperatorem, non ſplendidius ornatæ quam ſedes Cardinalium & a dextra quidem longa ſerie ſedẽt Cardinales Epiſcopi, à læua Cardinales Diaconi, ſic tamen vt eorum ſedes altitudine palmi emineant ſupra ſedem presbyterorum, ſintq; inſtratæ pretioſioribus pannis: In infima cauea infra omnes Cardinales è regione Papæ locatæ ſunt ſedes quatuor Patriarchales, Patriarchis ſi qui adſunt deſtinatæ. Factũ hoc ad Patriarcharum contumeliam, & ad vlciſcendos homines qui olim auſi ſunt cum Papa de Primatu contendere: nunc enim infra Papæ Miniſtros detruduntur. Ideoq; hæ ſedes vt plurimum ſunt vacuæ, niſi cum miſellus aliquis Patriarcha imaginarius, ibi locatur, mercede, conductus. In medio areæ loco ſedent Prælati inferioris notæ, quibus attributæ ſunt ſedes puræ ſine poſtergali. Principes laicj cuiuſcunque fuerint dignitatis excepto Imperatore & Regibus poſt omnes Diaconos ſedent.

In hoc conſilio ſoli Prælati & Abbates dicunt ſententiam. Imperator vero & Reges non habent ius ſuffragij, ſed ſunt meri auditores & cõſultores, parati ad obſequium. Nemo in concilium admittitur niſi relatus in Catalogum a Miniſtris quos Papa ei curæ impoſuit. Sedes aſsignatur ſingulis a

Clericis cæremoniarum.

In omnibus (inquit liber Cæremoniarum sacrarum) *Si Papa erit præsens ipse erit rector, modera-* Lib. 1. Sect. 14. *tor, ac dispensator, & deputationes, collegia, magistratus, & rerum omnium ordinem pro suo arbitrio constituet.*

Papæ & omnibus Cardinalibus amictus est purpureus. Papa venit ad Concilium infulatus, gerens triplicem illam mitram gemmis coruscantem, quæ *regnum* appellatur.

Post missam spiritus sancti, Papa in solio locatur a Cardinalibus, quid more ei assurgunt venerabundi. Idque fit in initio cuiusq; sessionis.

Peractis ritibus quibusdam sacris, quibus Dei fauor procuratur, prodit Diaconus Cardinalis, legitque clara voce decreta facienda: & primo quidem rogat Papam an placeant, ille placere respondet. Eodemq; modo respondēt cæteri *Placet.* Tunc protonotarius Apostolicus, & Clerici cameræ referunt decretum in acta, & in formam redigunt, & obsignant sigillo Apostolico. Decreti forma, si Papa est præsens, est eiusmodi. *Martinus Episcopus seruus seruorum Dei, sacro approbante Concilio &c.* Sic factum in Concilio Constantiensi, sic in Lateranensi vltimo. Si Papa abest, decreta concipiuntur in hanc formam. *Sacrosancta generalis synodus in spiritu sancto legitime congregata decreuit. &c.*

Antequam Acta Concilij publicentur, Protonotarij, &c Clerici cameræ ac Secretarij Papæ, ea exhibent suæ sanctitati recognoscenda & emendanda, cui curæ Papa delectos & sibi in primis fidos

dos deputat. Considunt Patres ad summum ter in septimana: sed & sæpe aliquot menses feriati intercedunt sessionibus, vsque adeo vt Concilium Tridentinum ad annos 23. fuerit extractum: Inter quas moras mortui sunt tres Papæ stante Concilio, ad quod non relatum est de electione summi Pontificis, sed facta est a paucis Cardinalibus conclaui inclusis. Sic & Apotheoses sanctorum ad Papam & Consistorium pertinent quamuis stante Concilio. Hæc accuratius pertractata vide lib. 1. Sacrarum Cærem. Sect. 14.

Hæc sunt Generalia Concilia sub papatu: Nam particularium Synodorum Romanarum vsus pridem exoleuit, in earumque locum & ius successit Consistorium Papale.

Hæc tu mihi, sodes, compone cum Synodo Nicena, aut Constantinopolitana, aut Ephesina prima, aut Chalcedonensi, quibus Papa nec interfuit, nec præfuit. In quibus legati Pontificis Romani, si qui erant sententiam suam dicebant inter cæteros, & Iudicum datorum ab Imperatore expectabant imperium, & accepto viatico ab Imperatore, ad sua reuertebantur. Adeone quisquam est perfrictæ frontis vt hæc tam impura, & tam noua tueatur veteribus exemplis, & Imperitorum animis obijciat nomen antiquitatis?

Cap. XVIII.

Ventilatur quæstio de Exemptionibus Clericorum.



Oncilium Constantiense sess. 31. decernit & declarat *laicos in clericos nullam habere iurisdictionem & potestatem* : Nouissime Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 20. *Personarum Ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione & canonicis sanctionibus instituta est*. Plura eius generis vide Causa 11. Quæst. 1. ybi deterrimum illud est Bonifacij, *Quæcunque contentiones inter Christianos oriuntur, ad Ecclesiam deferantur: & ab Ecclesiasticis viris terminentur, & si obedire noluerint, quousque obediant a liminibus Ecclesiæ excludantur:* Voluit vir modestiæ singularis omnes Magistratus ciuiles abrogare, & tribunalia omnia secularia præclaro hoc decreto, deserta reddere. Bellarmini verba hæc sunt lib. de Clericis cap, 28. *Clerici non possunt a Iudice politico puniri, vel vllo modo trahi ad secularis magistratus tribunal.* Et eodem capite. *Summus Pontifex clericos exemit a subiectione Principum: non sunt amplius Reges Clericorum superiores.* Et in Barklium cap. 34. asserit *Clericos non solo priuilegio principum, sed etiam decretis summorum Pontificum, & quod maius est, diuino iure exemptos fuisse. ac per hoc exemptos fuisse, antequam Principum priuilegio eximerentur.*

§ Tertia

§ Respondeo

Hæc cum fiant in fraudem Regum, & Principum

pum qui inde maximam Immunitionem ſui Imperij patiuntur: Rex ſereniſſimus in ſua præfatione monitoria eos prolixe & grauiter ſic admonet. *Si potentiſſimus quiſq; veſtrum alte ſerioq; recogitet, pene tertiam Populi ſoliq; veſtri partem, Eccleſiæ eſſe dicatam, nonne illius, quæſo, iacturæ ſenſus animos veſtros percutiet, quæ tantum hominum fundorumq; veſtro iuri ſubtrahat, vt vbiq; Pontifici coloniæ prouinciæq; conſtituantur? Immo, quantum ſpinarum & tribulorum in medijs veſtris ditionibus relinquitur, cum aſſeratur tam potens hominum factio ſub Imperijs veſtris naſci, educari, opimisq; prædijs frui poſſe, quæ a veſtra poteſtate immunis ſit, nec vllo iure veſtris legibus iudicijsq; ſubiecta? Adeo, vt cum antiquitus Clerici nihil vltra decimas appeterent, ijsque contenti viuerent: nunc Papa Clericorum caput, non niſi tertia ciuium & bonorum ac fundorum parte, in omnibus Regnis & prouincijs accepta, acquieſcat.*

Hæc a ſapientiſſimo Rege merito dici clamat experientia nobis tacentibus. Nam vnum Galliæ Regnum habet vltra trecenta hominum millia, quæ ſub obtentu clericatus & monachatus functioniſque Eccleſiaſticæ iugum Regis excuſſerunt, aliumque a Rege ſummum Principem agnoſcunt, non modo in ſpiritualibus, ſed & in temporalibus. Hi non poſſunt coram ciuili iudice conueniri: hi ſuos habent iudices peculiares, quos Officiales vocant, ſuos carceres, ſuas pœnas, & prouocationes Romam. Quin & liberi, ſimul ac ſocietati iſti Eccleſiaſticæ nomen dederunt, exempti ſunt a paterna poteſtate. Hi poſſident trientem & eo amplius, fundorum & poſſeſſionum totius

regni

Cap. XVIII.

Ventilatur quæstio de Exemptionibus Clericorum.



Oncilium Constantiense sess. 31. decernit & declarat *laicos in clericos nullam habere iurisdictionem & potestatem* : Nouissime Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 20. *Personarum Ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione & canonicis sanctionibus instituta est*. Plura eius generis vide Causa 11. Quæst. 1. vbi deterrimum illud est Bonifacij, *Quæcunq; contentiones inter Christianos oriuntur, ad Ecclesiam deferantur: & ab Ecclesiasticis viris terminentur, & si obedire noluerint, quousq; obediant a liminibus Ecclesiæ excludantur*: Voluit vir modestiæ singularis omnes Magistratus ciuiles abrogare, & tribunalia omnia secularia præclaro hoc decreto, deserta reddere. Bellarmini verba hæc sunt lib. de Clericis cap, 28. *Clerici non possunt a a Iudice politico puniri, vel vllo modo trahi ad secularis magistratus tribunal.* Et eodem capite. *Summus Pontifex clericos exemit a subiectione Principum: non sunt amplius Reges Clericorum superiores.* Et in Barklium cap. 34. asserit *Clericos non solo priuilegio principum, sed etiam decretis summorum Pontificum, & quod maius est, diuino iure exemptos fuisse. ac per hoc exemptos fuisse, antequam Principum priuilegio eximerentur.*

§ Tertia

§ Respondeo

Hæc cum fiant in fraudem Regum, & Principum

pum qui inde maximam Immunitionem sui Imperij patiuntur: Rex serenissimus in sua præfatione monitoria eos prolixe & grauiter sic admonet. *Si potentissimus quisq; vestrum alte serioq; recogitet, pene tertiam Populi soliq; vestri partem, Ecclesiæ esse dicatam, nonne illius, quæso, iacturæ sensus animos vestros percutiet, quæ tantum hominum fundorumq; vestro iuri subtrahat, vt vbiq; Pontifici coloniæ prouinciæq; constituantur? Immo, quantum spinarum & tribulorum in medijs vestris ditionibus relinquitur, cum asseratur tam potens hominum factio sub Imperijs vestris nasci, educari, opimisq; prædijs frui posse, quæ a vestra potestate immunis sit, nec vllo iure vestris legibus iudicijsq; subiecta? Adeo, vt cum antiquitus Clerici nihil vltra decimas appeterent, ijsque contenti viuerent: nunc Papa Clericorum caput, non nisi tertia ciuium & bonorum ac fundorum parte, in omnibus Regnis & prouincijs accepta, acquiescat.*

Hæc a sapientissimo Rege merito dici clamat experientia nobis tacentibus. Nam vnum Galliæ Regnum habet vltra trecenta hominum millia, quæ sub obtentu clericatus & monachatus functionisque Ecclesiasticæ iugum Regis excusserunt, aliumque a Rege summum Principem agnoscunt, non modo in spiritualibus, sed & in temporalibus. Hi non possunt coram ciuili iudice conueniri: hi suos habent iudices peculiares, quos Officiales vocant, suos carceres, suas pœnas, & prouocationes Romam. Quin & liberi, simul ac societati isti Ecclesiasticæ nomen dederunt, exempti sunt a paterna potestate. Hi possident trientem & eo amplius, fundorum & possessionum totius

regni

regni ſub titulo immunitatis, Neque enim ſunt vectigales, nec pendunt tributa: nec ſuo Regi laboranti tenentur ferre ſuppetias, nec debent nomine fundorum & prædiorum quæ poſſident, ſuo Regi vlla ſeruitia perſonalia, aut adiumenta pecuniaria: vt vetatur Titulo de immunitate Eccleſ. cap. 3. in 6. Tuti quidem Regis præſidio ſed nihil conferentes ad regni tutelam & defenſionem Reipublicæ. Quantum autem Rex inde capiat detrimenti hinc conſtat: quod laicus feudatarius ſeu Valuaſor feudum aliquod poſſidens, tenetur ad Domini ſui defenſionem, equos, arma, vitamque ipſam conferre, & Regi vocanti ſedulus aſſiſtere. Idem ſi moriatur, vel ſi fundum ſuum alteri vendat, & poſſeſſio quocunque modo mutet dominum, ſemper ad Dominum feudalem fructus aliquis perueuit, & homagium ſacramentumque fidelitatis renouatur. Domino alioqui non daturo inueſtituram feudi, nec miſſuro acquiſitorem in poſſeſſionem rei emptæ. Par ratio in fundis plebeijs, ſeu cenſualibus quæ in lodijs & venditionibus fructum afferunt Domino feudali, ſeu duodecima pars pretij ad eum pertinet, ſeu quid aliud pro varietate conſuetudinum municipalium. Tum ſi feudum poſſidens aut Vaſallus in Dominum ſuum deliquerit, ſi eius vitæ fuerit inſidiatus, ſi in acie vulneratum ab hoſtibus deſeruerit: vel (vt dicitur lib. 1. de Feudis Tit. V.) Si Dominum cucurbitauerit, id eſt cum eius vxore aut filia conſueuerit, tunc feudatarius aut vaſallus poſſeſſione ſua excidit. At ſimul ac feudum aut prædium plebeium venit in manus Eccleſiæ, excidit

Rex,

Rex, & quilibet Dominus ſuo iure, & in æternum dominio ſuo fraudatur. Nam Eccleſia (ſic enim Clericos vocant, quaſi cæteri ſint extra Eccleſiam) corpus eſt nunquam moriens, & in cuius manum poſtquam venerunt poſſeſſiones ac feuda, vix vnquam ac ne vix quidem accidit vt Dominum mutent & in laicorum veniant poteſtatem. Sed & Eccleſia quæ feudum acquiſiuit nullum eo nomine debet ſeruitium perſonale. Quin & per id Rex amittit iura Albinatus, & exhærentiæ, ac Confiſcationis. Neque enim poteſt Princeps delinquente Abbate, Priore, aut Epiſcopo, vel in regis ipſius caput conſpirāte, fundos quos poſſidet quatenus Abbas aut Epiſcopus fiſco addicere in pœnā criminis, quāuis compertum fuerit prouentus iſtorum fundorum ad ſubſidia hoſtium fuiſſe conuerſos. Quæ res niſi, tempeſtiué occurritur, tandem in peſtem regni & vltimam perniciem redundabit. Nam Clericorum bona ſemper augentur. Sic enim vſu venit vt omnium artium quæ vitijs hominum ſuſtentantur, lucrum ſemper augeatur. At nullius vitij tam propera ſunt Incrementa quam ſuperſtitionis, quippe quæ non alijs finibus includitur quam ſcrupuloſus vulgi timor, & ingenioſa clericorum auaritia: & tanto acrius intenditur, quanto ſpecioſiori religionis titulo prętexitur. Ergo Clericos videas in dies augere rem, prædia opima adipiſci, adire ampliſſima patrimonia, captare locupletum morientium teſtamenta. Quibus diuitijs idem accidit quod animantibus euntibus ad ſpecum Leonis ægri, quorum veſtigia omnia aduerſa nulla auerſa videbantur. Nam Clerici

Ius Albinatus in Gallia eſt quo Rex ſuccedit aduenis & peregrinis

Ius deſhærentiæ; eſt quo Rex caducas hæreditates ſibi vendicat defectu hæredis.

Clerici ad excipiendas laicorum fortunas vias habent innumeras, ad reddendas vero &ad refundendum quod acceperint nullam. Quemadmodum igitur turgescente ventre crura & brachia tenuantur. Sic in corpore Reip. nobilitas & populus qui sunt quasi lacerti & crura, concidunt macie, dum Clericale abdomẽ enormi tumore attollitur. Hinc est quod olim Reges nostri ex Regno longe minori longé maiorem conscribebant exercitum : nam Clerici erant pauci, præ ista infinita multitudine clericorum &monachorum quæ forum, quæ curiam, quæ tabernas, quæ exercitus impleret : & nobilitas hodie ad minorem numerum redacta & nudata fortunis quæ ab Ecclesia, possidentur, non habet quo debita Regi seruitia obeat.

Contra ipsam Romanam Ecclesiam centenatia, vel contra alias Ecclesias quadraginaria præscriptio legitimo sit completa vide Cod. lib.1.Tit.2 de Sacrosan. Eccles.l.23 & Nouellam bonam quam tamẽ Suidas ait per fraudẽ latam fuisse.

In eundem finem Clerici voluerunt Ecclesiam semper esse pupillam &annis minorem vt si quid vt fit, in pactis & conuentis ab eis fuerit commissum in suã ipsorũ fraudẽ, semper detur restitutio in integrum. Cumque vulgo possessio triginta annorum præscriptionem inducat, aduersus Ecclesiam Romanã opus est centenaria præscriptione, vt habetur Tit. de Præscrip. cap. 2. in 6. Eadem fruuntur prærogatiua Templarij Equites. Aliæ Ecclesiæ habent quadraginariam præscriptionem. At Concilium Calchedonense canone 17. Iubet præscriptionem esse τριακονταετῇ i. triginta annis definiri.

Neque vero satis fuit Papæ tertiam Galliæ partem quæ ab Ecclesiasticis possidetur, habere subditam suo imperio, & inde vt ex sua ditione

tione capere amplissima vectigalia sub titulo Annatarum, Datarum, Dispensationum &c. Sed & ista tertia populi Gallici parte vtitur ad alias duas sibi subijciendas, etiam in temporalibus. Causæ sunt inuentæ & colores sub quorum obtentu laici emunguntur argento, & causæ ciuiles miseræ plebis fiunt Ecclesiasticæ cognitionis. Nam judicium de causis matrimonialibus Papa ad se trahit; soluens matrimonia contracta, gradus affinitatis aut consanguinitatis vetitos in sacra Scriptura permittens, aut permissos vetans: Sic & absolutionis peccatorum, aut exemptionis, aut commutationis votorum, aut liberationis animulæ alicuius é Purgatorio diplomata petuntur Roma, & certo pretio emuntur: quibus non debuit subscribi *Datum Romæ* sed *Venditum*. Hæc quidem consuta sunt admirando artificio, cui quicquid vnquam fuit astutiæ non comparo. Nam quid tam stupendum quam inuenisse viam stabiliendi regnum in alieno regno, idque tam speciosé vt ipse Rex fraudatus, & misere circumductus vltro debeat, & beneficium sibi factum existimet.

His æruscationibus vt irent obuiam nostri Reges Ludouicus IX. Carolus VI. grauissimas leges fixerunt; & Carolus VII. constituit Pragmaticam Sanctionem ad id comparatam vt priuilegia Ecclesiæ Gallicanæ manerent illibata. Quanquam in ipsa voce priuilegij, seu potius prauilegij, contumelia est. Sic enim assuefacti sunt nostri Reges agnoscere quicquid Ecclesia sui regni

ni habet libertatis, id obtinere non Dei dono, sed Papæ priuilegio: Quasi dominum esse rerum suarum priuilegium esset & prærogatiua peculiaris. Si ergo de quatuor viatoribus tres iugulantur a latronibus, quartus vero parte pecuniæ multatus dimittitur, priuilegium est & prærogatiua huic beatulo concessa.

Sed & turpius nobis illuditur sub voce priuilegij: Sunt enim quædam pauca crimina clericorum, quorum cognitio permittitur ciuili magistratui: Cætera crimina clericorum de quibus vulgo cognoscit Episcopus, vocantur delicta communia. Iocularе sane acumen, & mira vocum inuersio. Quicquid enim Episcopi habent potestatis iudicandi de criminibus clericorum, id totum habent priuilegio, & ex principum indulgentia. At nunc vice versa si in clericorum causis, paucorum quorundam criminum cognitio permittitur Magistratui ciuili, priuilegium vocatur: quasi id non habeat iure, sed tantum precario, & concessione liberali Ecclesiasticorum. Non aliter ac si quis me spoliatum omnibus fortunis patiatur tamen vnciolam de tota summa retinere, & id vocet priuilegium: Benigne ergo agitur cum Principibus & magistratibus, si potestatis a Deo datæ portiunculam priuilegio possideant: veluti regalia quæ vocant & prouocationes vt ab abusu, & collationem aliquorum beneficiorum.

Sed neque hic finis fraudi: nam crimina illa clericorum quorum cognitio Magistratui permittitur, sunt crimina in quibus violatur dignitas Ecclesiæ Romanæ ad quam tuendam Magistra-

tus

tus non tam judex quam vindex & auxiliator accersitur. Nempe clericum hæreseos insimulatum Ecclesia tradit brachio seculari: Tum si quis falsum admisit in litteris Papalibus. Aut si Episcopo intulit contumeliam, His criminibus quia Papæ aut Episcopi dignitas imminuitur, adhibetur Magistratus minister potius & vltor quam judex. At si peccauerit clericus in publicam honestatem, si se furto aut adulterio aut homicidio polluerit, quia his criminibus non tentatur dignitas Ecclesiastica, nefas hic est Magistratui Ecclesiasticos limites irrumpere, aut de vita clerici cognitionem instituere, quandiu est clericus.

Cap. ad abolendam extra. de hæreticis. Cap. ad falsariorum Extra de crimine falsi. Can. si quis Sacerdotis 11. Quest. 1.

Maxime vero perniciosum est, & pessimi exempli in ipsis regni visceribus tot conspici homines exleges & immunes a pœnis lege cummuni constitutis. Enimuero, si fides Bellarmino, quotiescunque clericus adulterauit monetam, aut Regis latus sica apperierit, si est incendiarius, si veneficus, si occulta habet cum hostibus consilia, nefas tamen Principi injicere manus in hominem, nisi cum Episcopi venia, nec poterit puniri nisi placuerit Episcopo eum exauctoratum, clericorum albo expungere. Testis mihi illustris Venetorum Respublica, in quam parum abfuit quin nouissimè Papa detonuerit interdicto, vt hac ratione primo occupanti rapienda obijceretur, idq; quia Magistratus ausus fuerat lege agere in quosdam clericos, incestæ libidinis & nefandæ cædis compertos, qui sub tutela Ecclesiæ impune lasciuientes putabant sibi nihil non licere.

Vestiuntur hæc omnia titulo libertatis Eccle-

siæ.

siæ. Sic enim proteruè illuditur sacræ scripturæ, quæ per libertatem nobis a Christo partam nihil aliud intelligit quam aut liberationem à maledictione, & a Satanæ ac peccati jugo: Aut liberationem ab onere cæremoniarum sub quo Ecclesia veteris Testamenti quasi sub graui iugo tenebatur. At hodie sacrosanctum hoc beneficium tanto pretio emptum, ad immunitatem a tributis, & exemptionem a Regum & legum ciuilium subiectione vnde cler cis acquiritur peccandi licentia improbè traducitur.

Quæ cùm ita sint, quis miretur si Rex Optimus & sapientissimus tactus commiseratione erga Reges vicinos quos videt misere circumuen tos, & a Papa ex sublimi in planum deductos, eos hortatur ad dirumpenda hæc vincula quæ possunt solo spiritu difflare? & stans in ripa manum porrigit fratribus abreptis æstu prauæ consuetudinis?

Hæc quidem ego loquens, profiteor me non loqui de personis clericorum: sed de regulis & legibus Ecclesiæ Romanæ. Scio quidem inter Gallicos clericos esse non paucos qui pro regis sui salute vltro velint adire capitis discrimen, quibus tonsura clericalis non abstulit Gallicam ingenuitatem, & in quibus amor Regis sui & patriæ potior est Italica disciplina. At hoc quicquid est probitatis aut fidei debent suo ingenio; non vero institutis & legibus Ecclesiæ Romanæ.

CAP.

Cap. XIX.

Exemptionem Clericorum aduersari sacræ Scripturæ.



Ic si audiatur verbum Dei, res confecta est. Nam nec Leuitæ nec Summus Pontifex alio vsi sunt jure in Republica Israelitica quam communi. Nec habuerunt Iudices Ecclesiasticos diuersos a ciuilibus, qui de causis ciuilibus Leuitarum cognoscerent. Nec habuerunt carceres Leuiticos: Nec ius fuit Pontifici quandocunque in Republica esset Rex aut Princeps secularis, pœnas corporeas aut pecuniarias infligere. Tantum vero abfuit vt haberent fundos immunes a tributo, vt nequidem haberent portionem in partitione terræ Canaan.

Quod si historiæ sacræ creditur, Dauid non aliter imperauit Pontificibus quam Rex subditis, ideoque non dubitat Sacerdotem Sadok & Nathan Prophetam vocare seruos suos: sic enim eos affatur lib, 1. Regum cap. 1. *Sumite vobiscum seruos Domini vestri, & vehite Solomonem filium meum mula mea* &c. Ideoque & Solomon non modo Sacerdotem Abiathar loco mouet, sed & eum declarat reum mortis lib. 1. Regum cap. 2. com. 26. Tamen ab nauatam operam Dauidi patri, satis ei fuit hominem sacerdotio exutum in agelli sui angustias concludere. Quam in rem dici non

poteſt quam perplexe agat Bellarminus in Barklaium cap. 15. Nam primo fatetur probabile eſſe tunc Regem abſolute maiorem fuiſſe Pontifice, vt docet Thomas lib. 1. de Regimine Principum cap. 14. Vnde neceſſario conficitur eſſe probabile, falſa eſſe quæ contra hæc poſtea Bellarminus affert. Immo vero hac confeſſione eneruat quæcunque toto libro diſſerit de poteſtate & eminentia dignitatis ſpiritualis ſupra temporalem: Nam eaſdem illas rationes quibus hoc tuetur, eaſdem vires tunc temporis habuiſſe oportuit: poteſtas enim ſpiritualis ſemper ſpiritualis eſt.

Frigidum vero eſt quod ſubijcit: Solomonem hoc feciſſe vt Prophetam: Quaſi vero iudicare de pœna ſontis muneris eſſet Prophetici, aut quaſi Propheta maior eſſet Rege aut Sacerdote. Neq; conſentaneum eſt cum idem Rex vna cum Abiathar, Adoniam, Semei & Ioab euiſdem criminis reos damnauerit, in cæteris Regem, in hoc vno Prophetam egiſſe. Demus tamen hac in re Solomonem fuiſſe afflatum Prophetico inſtinctu, an inde ſequitur eum in ferenda hac ſententia non vſum fuiſſe regia poteſtate? An credibile eſt Abiathar cedentem loco, obſequutum eſſe Solomoni vt Prophetæ, non vero vt ſuo Regi & Domino.

Quocirca Cardinalis videns in hoc effugio parum eſſe præſidij, eo tandem redit, vt dicat in Scriptura ſacra narrari factum Solomonis ſed nō definiri iuréne an iniuria id fecerit. Reges multa facere ex poteſtate non ex iuſtitia. Satis quidem præfidenter. At ſacra Scriptura Solomoni hoc teſtimonium perhibet, cum inter initia regni Deum

um amasse, & ambulasse secundum documenta quæ a Dauide acceperat 1.Reg.3.v.3. Nec potuit in eo scelerate agere si (vt vult Bellarminus) ad hanc actionem prophetico afflatu impulsus est.

Ad nouum testamentum si venitur, eadem veritas, immo & clarior. Christus Matthæi 17. soluit vna cum Petro τὰ δίδραχμα. Qua de re habes Canonem *Magnum quidem*, Causa. 11. Quest. 1. ex Ambrosio *Magnum quidem est & speciale documentum quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur esse subiecti, ne quis constitutionem terreni Regis putet esse soluendam. Si enim censum filius Dei soluit, quis tu tantus es qui putas esse non soluendum?* Idem sistens se coram tribunali Pilati agnoscit hanc potestatem datam esse Pilato cœlitus Ioh. 19.11.

Paulus Apostolus prouocat ad Cæsarem non ad Petrum. At ne quis putet astu declinatum esse ab eo periculum; Lucas Actor. 23. 11. docet id ab eo factum impulsore Spiritu sancto. Agnouit ergo Cæsarem iudicem suum legitimum. Allucinatur enim Bellarminus cap 3. in Barklaium, vbi asserit causam Pauli fuisse spiritualem, videlicet & resurrectione & ceremonijs, ideoq; eius cognitionem ad Principem Ethnicum non pertinuisse. Aliud enim fuisse caput accusationis, idque præcipuum docent verba Tertulli accusatoris Act. 24. v.5. *Innenimus hunc hominem pestilentem, & mouentem seditionem inter omnes Iudæos toto orbe.* & c.25. v.7. *Iudæi multis grauibus criminationibus Paulum onerant, quas non poterant probare.* Ipse Paulus. v.8. sic agit vt in causa ciuili. *Neque* (inquit) *in legem*

Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccaui. Neque ſane credibile eſt tantum Apoſtolum qui mortem pro cauſa Euangelij vltro expetebat, Act. 20. 24. & cap. 21. 13. voluiſſe metu mortis declinare ad Iudicem illegitimum, & peſſimo exemplo Eccleſiæ cõmodis præiudicare.

Hoc quoque ſcire velim qui ſint quos Petrus vocat *genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam &c.* 1. Petr cap. 2. An hi tituli ad populum ſolum pertinent? an non etiam ad Paſtores Eccleſiæ? At certe eoſdem quos tot titulis inſigniuit paulo poſt ſic alloquitur. *Subiecti eſtote cuiuis ordinationi humanæ propter Deum, ſeu Regi, vt ſupereminenti: Seu præſidibus vt qui per eum mittantur, tum ad vltionem improborum, &c.* Obſerua voces iſtas *propter Deum*, ne quis putet id fieri oportere metu hominum.

Sed præcipue diſerta ſunt verba Pauli Apoſtoli ad Rom. cap. 13. vbi iubet *omnem animam ſubijci poteſtatibus ſuperioribus quia non eſt poteſtas niſi a Deo, & quæ ſunt poteſtates ſunt ordinatæ a Deo. Itaque quiſquis ſe opponit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. &c.* De poteſtate autem ciuili ſeu ſeculari non vero de Eccleſiaſtica Apoſtolum agere ſequentia verba indicant, *Non gerit* (inquit) *gladium fruſtra.* Tum illud: *Idcirco ſoluitis tributa.* Nam Apoſtoli tempore non alia poteſtas gerebat gladium, & tributa capiebat, quam ciuilis. Aſtipulator Gloſſa interlinearis, in hæc verba *poteſtatib. ſublimioribus. id eſt, Secularibus bonis vel malis.* Eundem locum ſic interpretatur Chryſoſtomus homil. 23. in Epiſtolam ad Romanos, * πᾶσι ταῦτα διατάττεται,

** Omnibus hæc iubet & ſacerdotibus & monachis non tantũ ſecularibus vel ſi fueris Apoſtolus aut Euangeliſta, vel propheta ad alius quilibet.*

καὶ ἱερεῦσι καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον, κἂν ἀπόστολος ᾖς, κἂν εὐαγγελιστὴς, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν. Ac ne Bellarminus regerat parendum fuisse principibus Ethnicis cogente necessitate, at secus se rem habere sub Principe Christiano, Chrysostomus prior occupat, sic loquens* εἰ γὰρ ἑλλήνων ὄντων τότε τῶν ἀρχόντων ταῦτα ἐνομοθέτησε, πόσῳ μᾶλλον ἐπὶ τῶν πιστῶν τοῦτο γίνεσθαι χρή. Concinit Tertullianus lib. de Idololat. cap. 15. hunc locum citans. Et ipse Bernardus in Epistola 42. ad Archiepiscopum Senonensem. *Cui honorem honorem, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, si omnis, & vestra. Quis vos excipit ab vniuersitate? si quis tentat excipere, conatur decipere.* Et paulo post reprehendit eos qui hæc instillabant Archiepiscopo; *Seruate vestræ sedis honorem*, quasi suæ sedis honore integro non posset magistratibus obsequi

* *Nam si Ethnicis tunc Imperantibus hanc legem sanxit, quāto magis suo fidelibus hæc fieri oportet?*

Ac ne putetur Apostolus hæc dicere simulaté, & ficta erga Principes Ethnicos reuerentia, non sic locuturus si vires adfuissent ad excutiendum iugum, subdit clausulam quæ omnem dubitationem eximit, cum vult Magistratibus morem geri, *non tantum ob iram, sed & ob conscientiam:* Id est non tantum metu pœnæ, sed & quia hoc etiam pars est pietatis cultusque diuini. Neque vero temere factum est quod cum hæc regula ad omnes Christianos pertineat, peculiariter tamen ad Romanos scripta sit, quos Spiritus sanctus Apostolum afflans, præsciebat in hanc regulam præcipue peccaturos. *§ Quinta, & § Probatur.*

Quid quod hic habemus confitentem reum? Nam Bellarminus ipse cap. 28. libri de Clericis

hunc locum citat, & fatetur hoc Pauli præcepto clericos astringi, & paulo post sic loquitur. *Nullum potest proferri Dei verbum quo ista exceptio (clericorum) confirmetur*: quo dicto ipse refellit exemplum a se paulo ante allatum ex Genes. 47. *vbi* (inquit) *Ioseph subiecit Pharaoni omnes Ægyptios, voluitque eos certum tributum pendere, exceptis solum sacerdotibus quos immunes & liberos debere esse iudicauit.* Nempe quia deerant Cardinali exempla petita ab historia Ecclesiæ, vsus est exemplis Ethnicorum. Quanquam & hoc exemplum falso ab eo citatur. Neque enim Moses ait Sacerdotum agros fuisse immunes, sed tantum sacerdotes non fuisse coactos per egestatem vendere suos agros, aut eos redimere data Pharoni quinta parte prouentus annui. Ab omni vero tributo immunes fuisse non dicit. Falsum quoq; est Iosephũ censuisse illos debere esse immunes; Nunquã enim vir sanctus iudicasset impios sacerdotes dignos esse honore, aut debere mercedem capere sceleris & idololatriæ. An Ioseph putasset ideo debere aliquem prærogatiuis honorari, quia diabolũ colit!

Obseruandum quoque quam parum sibi constet Bellarminus (quod accidit loquentibus contra suam mentem) Cum enim cap. 34. in Barclaium affirmet *Clericos exemptos esse non solo priuilegio Principum, sed & iure diuino*: hoc loco fatetur *nullum posse proferri Dei verbum quo ista exceptio confirmetur.* Agnoscens tacitè Paparum decreta non esse verbum diuinum.

Capvt

Cap. XX.

Idem probatur rationibus.

I ADdantur rationes validæ & perſpicuæ. Ac primũ nulla ratio eſt cur qui Regis curâ, præſidio,& impenſis defenditur, non debeat regi obſequium; An Rex conſcribet copias ad protegendos homines ſuo imperio nõ ſubditos. Si ergo hoſtis incurſet clericorum prædia, ſi eos cedat, agat, rapiat: nulla eſt cauſa cur Princeps teneatur opponere ſe hoſti,ad eorum defenſionem. Dicet enim ſe teneri ad defenſionem ſubditorum: hos vero non eſſe ſuos ſubditos. Eis alium eſſe Principem, nempe Papam, qui ex prædijs & poſſeſſionibus Eccleſiaſticis Galliæ magna copia emolumenta, ad quem debent recurrere: Eius eſſe ſumptum facere qui fructum percepit.

II. Omnis ciuis Reipub. neceſſario aut princeps eſt aut ſubditus Principi. Clericus in Republica non eſt Princeps; ergo ſubditus Principi.

III. Ipſe Bellarminus lib. de Clericis cap. 28. fatetur Clericos eſſe ciues & partes Reipublicæ. Quemadmodum igitur nullum eſt membrum in corpore quod non ſubſit capiti, Ita non poteſt dici membrum Reip. qui non ſubeſt capiti Reipublicæ, id eſt Regi, aut ſummo Magiſtratui.

IV. Quod ſi Ludouicus eſt Rex totius Franciæ,

ciæ, nonne necesse est vt omnes Franci eum Regem suum agnoscant, eoque sint ei subditi? An natus in Francia, parentibus Francis, desijt esse Francus ex quo cœpit esse clericus, & per gradum clericalem patriam ac Regem suum eiurauit? Aut quibus vnquam legibus receptum est vt natus in medio regno, & ibidem viuens, ortus parentibus ciuibus, habeat alium Dominum in temporalibus quam Regem suum? & alio iure vtatur quam legibus regni & Reip. cuius est ciuis?

V. Certé, non secus ac Baptismus ac professio Christianismi non efficit ne sis ciuis, ita nec clericatus, nec te hic titulus plus quam ille liberat subiectione Regis tui legitimi. Maximé cùm Christianum esse, sit aliquid maius quam esse Clericum. Nam sine titulo Clerici multi seruantur, sine titulo Christiani nemo. Tum dignitas Clerici cum hac vitâ desinit, at dignitas Christiani est æterna.

VI. Hoc quoque certum est; religionem Christianam neminem priuare suo dominio, aut possessione qua fruebatur antequam Christo nomen daret. An quia Mæuius factus est Christianus idcirco domũ aut fundũ amittet? An Rex conuersus ad fidem ideo minus erit Rex quã cum esset Ethnicus? sic Clodoueus noster antequam fieret Christianus omnes Frãcos & omnia Frãcorũm prędia æqualiter habebat sibi subiecta, nullo discrimine Ecclesiastici aut sæcularis. An igitur aggregatio eius ad fidẽ eum spoliauit parte regni? Idem dico de regibus Christianis, qui cum laicum habeant sibi seruum & subditum, non est æquum

vt

vt Papa eum eripiat suo domino, & priuet Regem suo iure. Hoc enim si ita fit, quemcunque Papa voluerit vertice strictim attonso suum facere, & in suam clientelam recipere, subtrahetur suo Domino naturali. Ita fiet vt Rex nullum habeat subditum nisi precario & quem Papa permiserit. Non mirum ergo si Papa clericos studet esse maximo numero, in eumque finem quotidie noua monasteria, nouique monachorum ordines statuuntur, & inaudita patribus nostris nomina: totidem (vt ait Rex) papalis imperij coloniæ, Inde est quod monachi qui olim erant laici, nunc accensentur clero. Inde est quod Bonifacius VIII. voluit clericos contrahentes matrimonium, retinere tamen priuilegia clericorum, vetans huiusmodi clericos coniugatos ob crimina trahi ad tribunal seculare. Tit. 2. cap. 1. de Clericis coniug. in 6. Sic & Clericus qui per vndecim menses fecerit histrioniam retinet tamen priuilegium clericale. Toletus De instructione Sacerdotum lib. 1. cap. 33.

Ad hanc obiectionem respondet Bellarminus cap. 35. in Barklaium, *per exemptionem clericorum non priuare principes iure quod habebant in eosdem antequam clerici essent, per se & proprie, sed consequenter & quasi per accidens quemadmodum cum filiusfamilias euehitur ad Episcopale fastigium, eximitur a patria potestate, nec tamen fit iniuria patri, quoniam non priuatur pater iure suo per se, sed consequenter. Non enim intendit Ecclesia priuare patrem iure patriæ potestatis, sed euehere personam illam ad gradum quo dignus est, quamuis inde sequatur illa priua-*

tio

tio paternæ potestatis. Acute planè, sic enim excusare possis hominem qui Mæuio sit furatus pecuniam quam Titio daret in eleemosynam ; non id ab eo factum esse quòd intenderet, Mæuio iniuriam facere, sed quia voluit Titij subuenire indigentiæ, factam ergo iniuriam illi non per se & propriè, sed per accidens, & consequenter. At quid refert an Mæuius spolietur per se an per accidens, si vtrobique spoliatur? An cum Rege melius agitur si Papa ei subditos eripit non quidem in Regis ipsius odiũ, sed in alterius fauorẽ? An facienda sunt mala vt eueniant bona? Nullane ratione alia potest consuli honori clericorũ, quã fraudando laicos suo iure, siue primo & propriè id fiat, siue consequenter? Profecto non abs re dubitari potest leuiori ne contumelia reges suis spolientur quam tam frigidis distinctionibus post illatam iniuriam, eis illuditur. Sic enim ad damnum adijcitur contumelia, & quasi fatuis os sublinitur. Neque credibile est Papam minus ægre laturum, si quis eum Papatu extrudat, non quidem quod ei intendat inferre iniuriam, sed vt detur locus meliori, & hominem de gradu præcipitet non per se, sed per accidens.

Eadem disserit Cardinalis prolixius cap. 34. vbi explanat simili quo pacto Papa Clericum eximat a subiectione Regum. *Euehit* (inquit) *Rex priuatum hominem qui subiectus erat Comiti ad Principatum, & consequenter priuat Comitem iure quod in illo habebat, & fortasse Comitem subijciet illi Principi iam effecto.* Obserua collationem. Comparatur enim Papa summo Principi: Clericus Principi inferiori

inferiori quem summus Princeps ad eum honorem euexerit. Rex Comiti qui Principe isto inferiore sit factus inferior: Ita Rex in infimum gradum detruditur, & clericus quilibet a Papa supra Regem attollitur. Hæc quidem Romæ tuto dicuntur, vbi reges flocci fiunt: non vero in ijs locis vbi Regia potestas nondum concidit.

VII. Hinc vero liquet quanto scelere clerici a subiectione Principum eximantur, quod Bellarminus cap. 34. non potuit alijs quam nequissimis exemplis factum illud defendere. Primum exemplum eius hoc est *Ius habebat maritus infidelis in coniugem infidelem; conuertitur mulier ad fidem, & consequenter liberatur a subiectione viri infidelis, & sine iniuria vlla lex Christi priuat virum infidelem iure quod in vxorem suam habebat.*

At debuerat Bellarminus proferre ipsa verba Scripturæ, quibus vxor fidelis liberatur iugo mariti infidelis. Nam Paulus contra est 1. Cor. 7. vers. 13. *Si qua mulier habet virum infidelem, & ipse consentit habitare cum ea, ne relinquat eum.* Enimuero si vxor fidelis voluerit relinquere maritum infidelem, quid fiet liberis communibus? an vxor fidelis eos vi eripiet patri? an eos relinquet in manu patris infidelis educandos impie, & consecrandos idolo? Quod si maritus infidelis per incontinentiam non possit carere vxore, nonne vxor fidelis suo discessu causa erit viro se prouoluēdi in libidines & adulteria?

VIII. Secundum exemplum Bellarmini tale est. *Per matrimonium per verba de præsenti contractum, acquirit vir Christianus ius in vxorem Christianam:* *Eodem capite 34.*

nam: & tamen si intra tempus a iure præscriptum, velit illa ad professionem vitæ altioris ascendere & sanctimonialis fieri, lex Christi priuat virum iure quod acquisierat, non per se, sed consequenter, non enim intendit lex Christi virum illum priuare suo iure, sed fœminam ad altiorem gradum euectum honorare.

Omnino planum fit quid judicandum sit de exemptione clericorum dum tam sceleratis exemplis defenditur. Nam regula Christi super matrimonio generalis est. Matthæi 19. *Quod Deus coniunxit, homo ne separet.* Ibidem Christus omnẽ separationem vxoris a viro vetat, excepta causa adulterij: vt mirum sit cur Bellarminus separationem vxoris a viro ob monasticum votum, vocet legem Christi: cùm lex Christi sit, plene contraria. Cùm enim vir & vxor sint caro vna, teste Scriptura, non potest solui nexus tam arctus, & quem Deus vetat ab homine solui, sub obtentu vitæ perfectionis quam scriptura plane ignorat; Quæ perfectio si par esset Angelicæ, non esset tamen ad eam transeundum per violationem præcepti diuini, nec ad bonum finem malis medijs esset perueniendum. Quamquam quæ sit ista perfectio immo quæ labes res ipsa indicat, Vtcumq; inflectur titulis, dum monachorum alij se Angelos, alij Archangelos, alij Cherubin, alij Seraphin, alij spiritus, alij illuminatos nuncupant, non tam ad suum honorem quam ad dedecus Angelorum. Quod si in ista vita sanctimoniali tantopere est perfectionis vt ad eam amplectendam rumpenda sint vincula fidei coniugalis, & eo perueniendum sit periurio, qui fit vt Clericis quibusdam

Eph. 5.

dam Papa permittat adire coniugium, & renunciare perfectioni Angelicæ? Respondetur, non id concedi nisi viris principibus & potentibus, idque grauissimis de causis. Nempe (si Papæ fides) hoc est priuilegium Principum, facultas renuntiandi perfectioni, & deserendi incœptam sanctitatem.

IX. Tertium exemplum nihilo est honestius. *Euehitur* (inquit) *filiusfamilias in Episcopum, priuatur Pater ipsius potestate patria, non vt ipse afficiatur iniuria, sed quia non decet Patrem spiritualem subijci potestati parentis carnalis.*

Nempe hæc ideo dicuntur vt sciant Principes eodem scelere clericos suo Imperio eximi, quo violantur filiorum erga parentes obsequia. Sane quidem lex illa *Honora patrem & matrem*, omnes homines astringit, ergo & clericos. Honoris autem nomine etiam obsequium intelligit. Immo si Lex Dei hoc taceret, naturalis tamen instinctus ad id omnes homines formauit. Sic cum in alijs peccatis sit violatio iustitiæ, in rebellione filij aduersus patrem est euersio naturæ. Ibi scelus est, hic prodigium & ἀσεβότης. An pietas euertit naturam? An clericalis character pugnat cum lege Dei? An si pater recta iubeat & honesta, filius non tenebitur obsequi, quia clericus est, ideoque patre dignior? An si patri seni & infirmo vnicus sit filius, cuius ministerium & auxilium sit necessarium patri ad subsidium senectutis, non tenebitur filius patri poscenti opem ferre, quia se filius patre inconsulto aut etiam inuito monasterio inclusit? Obserua autem hic agi de obedientia, quam subditi debent Principi iure diuino, ac proinde etiam

tiam de obſequio quod filij debent parentibus jure diuino, alioqui exemplum Bellarmini non eſſet accommodatum. Quod ideo dico quia in paterna poteſtate quædam ſunt conſtituta jure diuino, quædam jure ciuili, quibus immutatis jus diuinum & natura non violatur. Nam liberatio a paterna poteſtate quæ conceditur Epiſcopis a Iuſtiniano Nouella Conſt. 81. cap. 3. non reſcindit ius naturale nec ius diuinum, ſed per hanc liberationem fit poteſtas Epiſcopo contrahendi, teſtandi, &c. inconſulto patre.

Si quis ergo contendat presbyterum aut monachum liberari ab ea patria poteſtate quæ eſt juris diuini plane pugnabit cum lege Dei. At ſi agitur de ea poteſtate quæ eſt juris ciuilis, certum eſt clericum non poſſe ab ea liberari inuito aut inconſulto principe, quia eius poteſtati ciuilia jura commiſſa ſunt: At Bellarminus in Barklaium. cap. 34. affirmat Papam poſſe liberare clericos ſubiectione Principum, *Etiam inconſultis Principibus*. Si inconſultis, certe etiam inuitis.

X. Quod ad crimina vero attinet. Cum Princeps debeat reddere Deo rationem populi ſibi commiſſi, quid tam æquum quam vt ſit inſtructus poteſtate ad coerendos eos qui in ſua ditione viuentes conantur turbare publicam pacem, aut proterue inſultare legibus, aut populum malis moribus corrumpere? Omnino ſi cui a Deo cura rerum ciuilium demandata eſt, debet poſſe coercere peccantes in ſocietatem ciuilem. At cura rerum ciuilium non eſt demandata Epiſcopis, ſed regibus. Si ergo Epiſcopus peccauerit in ſocieta-

tem

tem ciuilem, oportet coerceatur a Rege.

XI. Quod si Episcopus noluerit gradu mouere clericum impurum, aut factiosum, an idcirco impune ei erit vita scelerata? & populi salus sub obtentu honoris Ecclesiastici in periculum adducetur?

XII. Cumque in causis tum ciuilibus, tum criminalibus, pleraque decidantur ex jure ciuili, si talis causa clerico aduersus clericum inciderit, oportet Episcopus sit consultus juris ciuilis, ad cognoscendum de tali causa. At Paulus Apostolus longa serie recensens virtutes & officia Episcopi 1. Tim. 3. hanc virtutem omisit, nec voluit Episcopum peritum esse rerum ciuilium, & iuris dicundi. Immo vero 2. ad Timot. cap. 2. *Nemo militans implicat se negotijs huius vitæ, vt placeat* στρατολογήσαντι: eum autem loqui de fidelis Christi ministri militia indicat versus præcedens. *Tu igitur mala perfer, vt strenuus miles Iesus Christi.*

XIII. In genere autem quicquid habent clerici exemptionis, id eos non debere Pontifici, sed meræ Imperatorum & Regum liberalitati, hinc euidentissime constat: quod omnia Paparum Decreta quæ statuunt clericos debere esse immunes, sunt posteriora tempore constitutionibus Imperatorum quibus Clericis prærogatiuæ tales conceduntur.

Cap. XXI.

Distinctiones & ratiunculæ Bellarmini, & aliorum diluuntur.



Væ contra hæc affert Bellarminus tam sunt diluta, vt referre pigeat. Coactus enim rei euidentia fateri clericos esse subditos legibus ciuilibus, distinctiunculam puerilem quasi pellucentem nebulam offundit. Nam 28. cap. lib. de clericis dicit clericos esse subditos legibus ciuilibus *obligatione non coactiua*, *sed directiua*. Tum illud passim inculcat, clericos teneri obsequi *vi rationis, non vi legis*. Quæ tricæ eo tendunt vt clerici quidem obsequantur legibus ciuilibus, si velint, si vero nolint, non possint cogi, & totum id ab eorum arbitrio & ratione pendeat.

Ego vero nego legem esse legem quæ relinquitur subditorum arbitrio. Eiusmodi lex mera est suasio. Frustra iubet, qui non potest cogere, aut immorigerum vlcisci. Futilis est sanctio quæ nullis pœnis sancita est. Omnis enim sanctio pœnam includit. Quod Virgilius voces vsurpans cum delectu innuit hoc versu Æneid. 12.

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit.

In quem locum Seruius *Sanctio vocatur pars ista legis, qua eam violantibus pœna præscribitur*. Nihil est autem tam frequens Imperatoribus Romanis quam leges suas *sanctiones* vocare, etiam eas quæ Episcopis & Clericis statuũtur. vt l. 1. & 42. §Præterea

terea Cod. de Episc. & Cler. Quod si Rex leges fert clericis, sed sine pœnis, Legislatoris conditio sequior erit quâ subditi. Ille enim tenebitur iusta suggerere, hic vero non tenebitur obsequi, aut si tenetur, non tamen potest cogi si nolit. Concinit ius ciuile lege 7. D. De legibus. *Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire.* Tolle igitur pœnas, legis virtus concidit.

II. Non minus diluta est altera Bellarmini distinctio, qua ait Clericos debere obsequi *Non vi legis, sed rationis.* Quasi ipsa recta ratio non esset Lex, aut quasi lex vlla esset sine ratione. Quæro tamen cur ratio clericum astringat ad obedientiam? an quia ratio exposcit honestè viuere & iustè? at hoc ipsum lex Dei exposcit, sic ratio ista erit ipsa lex. An ratio ista est opinio mera? at hæc opinio sæpe irrationalis est & contraria rectæ rationi. Neque video quo modo cum Clerico melius agatur si laqueo aut gladio perimatur vi rationis, quam si vi legis. Quod si vis rationis obligat clericum ad subiectionem legi, eadem vis rationis obligabit Principem ad puniendum clericum immorigerum.

III. Sed apprimè digna sunt exempla obedientiæ quam Bellarminus in clerico requirit cap. 28. lib. de Clericis. *Loquimur* (inquit) *præcipue de legibus politicis quæ dirigunt actiones humanas in rebus temporalibus, vt cum Princeps lege sua constituit precia rebus venalibus, vel iubet noctu neminem incedere cum armis, aut sine lumine.* At debuisse addere, Vel cum Princeps vetat monetam adulterinam cudere, aut patriam suam hosti prodere,

aut cædem vel parricidium patrare. Timuit Cardinalis ne si maioris momenti exempla afferret, aliquid de dignitate clericorum recideretur: quia in his maioribus criminibus velle clericum subijci legibus, sic tamen vt non possit puniri, summa esset non modo vanitas, sed & scelus. His ergo exemplis sedulo abstinuit. At in emptione panni, aut gestatione laternæ, vult clericum vti iure communi, sic tamen vt si quid peccauerit non possit coerceri.

§ *Ad quintam.* IV. Pari ludibrio cap. 35. in Barklaium, agnoscit Reges esse Reges non modo laicorum, sed & clericorum. At quomodo sit clericorum Rex sic explicat: nempe in eo quod *Clerici leges Regis politicas libere seruant.* Nota vocem *libere*, nam seruare legem Regis libere, id sanè est non esse subditum, sic legem ab aliquo patrefamilias statutam in sua familia possum obseruare in mea, non per subiectionem sed per imitationem: non vi legis, sed vi rationis, vt ait Bellarminus, & ex meo arbitrio. Non ergo ob id Rex est Rex clericorum, quia idem potest fieri a peregrino. Addit Bellarminus *Regem esse Regem clericorum, quia causas quas cum laicis habent cum actores sunt, ad tribunal ipsius deferunt, & iudicio ac sententiæ eius in eiusmodi causis acquiescunt.* At hoc idē fit a peregrinis si actores sint in causa aduersus ciuem. Semper enim actor sequitur forum rei. Eiusdem farinæ est quod addit *Clericos honorare reges, & pro eis orare.* At hæc etiam fieri possunt & debent a peregrino. Vt iam Regi in clericos nil nisi merum nomen Regis relictum sit. Et sane assurgere Regi transeunti

unti leuis eſt remuneratio pro ſalute ſua quam debent Regis curæ, & pro tot opibus quibus Regni robur fractum quaſi macie concidit, & tabe conficitur.

V. At indecorum (inquit Bellarminus) *Si ouis paſtorem ſuum iudicet*, Reſpondeo Reges eſſe Paſtores clericorum in temporalibus, vnde & Reges ποίμενες λαῶν apud Homerum. Et Pſal. 78. Dauid Rex ait ſe a Deo vocatum *ad paſcendum Iacob populum ſuum*. Debuerat Cardinalis addere indignum eſſe ſi paſtor æger pareat legibus medici.

VI. Addit Cardinalis. *Adhuc abſurdius eſſet, ſi hodie Prætor poſſet vocari ad tribunal Epiſcopi, & eras Epiſcopus ad tribunal Prætoris.* At nihil hic abſurdi, dummodo tribunal Epiſcopi ciuilibus rebus abſtineat, & res eſt apud nos frequens. Quanquam aſtutè Bellarminus Prætorem poſuit pro Rege, quia durius viſum fuiſſet Regem vocari ad tribunal Epiſcopi: At de Regis poteſtatè hic præcipue agitur: quem Bellarminus non vult poſſe trahere Epiſcopum ad ſuum tribunal. Amguitas eſt quoque in voce *trahendi*, Nam Magiſtratus non poteſt trahi vi ad tribunal Epiſcopi, ſed debent adhiberi commonefactiones, & ſacra παιδαγωγία, & in extrema peruicatia & contemptu excluſio a cōmunione. At Epiſcopus poteſt vi trahi ad tribunal Magiſtratus, & reſtitanti poſſunt manus inijci, & pœnæ infligi, vt ex ſacra ſcriptura & ex hiſtorijs docuimus.

VII. *At indecorum* (inquit) *vt terrenus Iudex ſummi iudicis ſeruos ſacratoſque homines capiat*

vel puniat. Quasi vero Rex non esset seruus summi judicis & sacra persona. Nam Reges vocare profanos frequens est Bellarmino, qui tamen vncti domini passim vocantur, & consecrati. Ps. 2. com. 6. Fac tamen sint profani, an ideo indignum est clerico iudicari a iudice profano? Nonne clerico longe indignius est esse furem quam furti arcessi? Non alius Princeps magis meruit dici profanus quam Nero, attamen Paulus non putauit indignum si *omnis anima* id est quilibet homo ac proinde & clerici ei tributa penderent, & gladium eius metuerent ob malefacta. Nec quicquam istius est quam clericum viuentem profano more; legibus profanis, sed tamen iustis, pro merito puniri. Denique cum Regis dignitas, & persona sit sacra, fundi vero & pecuniæ clericorum sint res profanæ, quid mirum si rei sacræ res profana subijcitur?

VIII. Dicet aliquis Ecclesiam cognoscere debere de omni crimine. Et verè quidem: nihil enim est in actionibus moralibus de quo Theologia non definiat, sed eatenus vt declaret quid sit peccatum aut non sit, & quibus censuris Ecclesiasticis puniendum, veruntamen si Theologus peccauerit in leges ciuiles, poterit a judice ciuili pœna commerita affici.

IX. Sunt qui victi euidentia veritatis, fatentur exemptionem clericorum non esse juris diuini, sed natam esse a Principum indulgentia, & priuilegijs pridem concessis, quæ tamen quia vsu inualuerunt & vim habent legis non sunt commouenda, nec minuenda. Quo dicto fatentur ius

istud

istud singulare esse contra tenorem rationis, vt dicitur; Dig. lib. 1. Tit. 3. v. 16. *Ius singulare est quod contra tenorem rationis propter aliquam vtilitatem auctoritate instituentium introductum est.*

Hæc opinio aduersatur Canonistis omnibus & Concilio Lateranẽsi vltimo Sess. 11. Sic loquenti *Iure tam diuino quam humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas concessa est.* Et ipsi Papæ Bonifacio VIII. qui asserit clericos iure diuino & humano liberos esse ab exactionibus. Bellarminus hic secum ipse dissidet, & sensus suos sic inuoluit vt videatur noluisse credi, immo nec intelligi. Nam cap. 28. libri de clericis hæc habet. *Exceptio Clericorum in rebus politicis tam quo ad personas quod ad bona iure humano introducta est non diuino.* Fatetur nullum posse proferri Dei verbum quo ista exceptio confirmetur. Immo ibidem impugnat exemptionem istam testimonio Pauli Rom. 13. vbi vult illud *Omnis anima* includere clericos. Vnde fit vt talis exemptio sit contraria iuri diuino. Idem tamen eodem capite defendit immunitatem istam ex Geneseos 47. tum dicit *Papam exemisse clericos a subiectione principum.* At ijs quæ a Pontifice jubentur & definiuntur obsequi putatur esse juris diuini. Profert quoque Concilia aliquot in eam rem: At Concilia probata a Papa & Ecclesia Romana pro verbo Dei habentur. Et hæc quidem in rebus politicis seu ciuilibus. At in criminibus iurene diuino an tantum humano nitatur exemptio clericorum, non definit. Verum cap. 34 in Barklaium hoc quicquid est priuilegij vult esse juris diuini, sic loquens *Respondeo Clericos*

Cap. Quanquam De censibus in 6.

§ Quinta.
§ Probatur

non solo priuilegio Principum, sed etiam decretis summorum pontificum, & quod maius est diuino iure exemptos fuisse, & per hoc exemptos fuisse antequam Principum priuilegio eximerentur. Quibus in verbis multa notanda sunt. Primo quod Decreta Pontificum fatetur non esse iuris Diuini. Secundo quod agnoscit priuilegia Principum, mox tamen ea euertit dum dicit hanc exemptionem esse iuris diuini. Quod enim a Deo datum est, humano priuilegio non potest concedi. Tertio quod ait Clericos exemptos fuisse iure diuino ante priuilegia concessa: Datum ergo est eis priuilegio quod iam habebant. Qui vera diceret, nunquam secũ ipse pugnaret, nec tam perplexé loqueretur. Nec post impugnatam in rebus ciuilibus exemptionem clericorum testimonijs Pauli Apostoli, diceret istam exemptionem esse iuris diuini.

X. Sed neque verum est exemptionem Clericorum qualis hodie statuitur, niti priuilegio principum. Nam præterquam quod tota antiquitas reclamat vt mox docebimus, ratio ipsa aduersatur. Nam certum est Regem nunquam dare priuilegia aduersus seipsum. Potest quidem ad tempus & certis de causis eximere aliquem iurisdictione inferioris magistratus, at non potest liberare obsequio Regi debito, nisi velit legem Dei euertere, & pessimo exemplo iura regni conuellere.

XI. Nec dubium est quin Rex quæ dedit subdito priuilegia possit eripere, si videat subditum, abuti Principis beneficio ad perniciem publicam. Cum enim Princeps possit cuilibet perduelli e-

ripere

ripere & fisco addicere bona quæ non dedit, quanto magis quæ dedit? Maximè cum hoc tempore clerici negent se hæc habere beneficio Principum sed profiteantur se totum hocquicquid est acceptum referre Romano Pontifici, qui, vt ait Bellarminus, potest liberare a subiectione principum *etiam inconsultis principibus*. Quisquis negat se beneficium accepisse, cum acceperit, dignus est amittere.

XII. Quod si cui Principi placet liberalem esse erga aliquos subditos, cum imminutione suæ dignitatis, personalis est hæc liberalitas, nec potest successor huius Regis pari lege astringi. Semper fuit penes Principes emendare quæ obesse Reip. experimento compertum est. Neque video cur Principi cui licet augere priuilegia clericorum, non liceat eadem minuere: præcipue si ex concessione præcedenti Resp. aliquid detrimenti capiat.

XIII. Maius est quod dicturus sũ. Pertẽdo enim Principes ne quidem si maxime cupiant posse eximere clericos ab omni ciuili potestate, quandoquidem Deus vult eos potestatibus superioribus subijci. Benefacta quæ sunt contra bonos mores & Dei mandatum, sunt malefacta. Sic pater non potest liberare filium ab obsequio sibi debito, nec gratiam facere obsequij isti mandato quod iubet Honorare patrem & matrem, nec improba indulgentia laxare vincula naturalia, aut refigere iura diuina: Emancipatio enim liberorum recepta legibus, non liberat filios a lege Dei, aut iure naturali, sed a ciuilibus quibusdam constitutioni-

 bus

bus quæ adimunt liberis potestatem contrahendi inconsulto patre. Sic cum extaret disertum Dei mandatum de premendis arcta seruitute reliquijs Cananæorum, non potuissent Reges Israelis sine scelere eos facere exleges, & plane immunes.

XIV. Adde quod Imperatores & Reges potuerunt concedere magnas Immunitates clericis, paruo regni sui dispendio, quando clerici erant paruo numero: nec ciuilia tractabant: & erant in re non valde lauta. At nunc cùm clericorum & monachorũ mãdræ omnia cópleant multitudine innumerabili: & Reges ipsos longe superent opibus, & immisceant se negotijs ciuilibus, & causas ciuiles, mutato nomine ad se trahant: quin & bonam partem laicorum habeant sibi obstrictam abatijs & opimis beneficijs: habeantque suas congregationes, sua capitula, & arcana consilia, ad quæ Princeps non admittitur, ipsi vero intersint Regio consistorio, sæpe etiam præsint: quis non videt quantùm intersit regum hæc tam immania priuilegia recidere, & consulere sui imperij non modo dignitati sed etiam saluti? Quanquam quæ fuerint ista priuilegia primitus concessa a Principibus postquam cognouerimus apparebit longe plus esse vsurpatum ab eis quam fuerat concessum. Cuius rej explanationi caput sequens dabitur.

CAP.

Cap. XXII.

Veritas defenditur testimonijs antiquitatis & constitutionibus ac legibus Imperatorum.



TVa nobis testimonijs antiquitatis probanda sunt. 1. Clericos olim fuisse obnoxios iudicijs & pœnis ciuilibus. 2. In causis ciuilibus & criminalibus Clericorum, Episcopis forum & iudicia fuisse concessa, Principum indulgentia, sed ita vt Episcopi magis essent arbitri quam Iudices. 3. Fundos & prædia clericorum fuisse vectigalia, & tributo obnoxia.

I. Vt ergo ordiamur a primo, decem persecutiones Ecclesiæ quæ per trecentos annos Ecclesiam afflixerunt satis euincunt Episcopos & Presbyteros solitos trahi ad tribunalia Imperatorum Ethnicorum. Neque id tantum de facto vt loquitur Bellarminus, sed & de iure. Nullus enim clericus Martyr aut confessor vnquam conquestus est se sisti coram iudice non idoneo: nec causatus est clericorum priuilegia imminui. Frustra regeritur id ab eis factum metu; nam quid potest timere qui mortem non timet? Nonne eâdem illâ constantiâ quæ Episcopos inter tormenta obfirmabat, eos quoque ad declinandum iudicem non idoneum incitasset.

Constantino magno præsidenti synodo Nicenæ

næ Episcopi obtulerunt magnam vim libellorum supplicum quibus de iniurijs inuicem expostulabant. Hos libellos bonus Imperator cremauit, ratus prudentius ista sopiri quam excuti, & hos rixarum nodos melius incidi quam solui: Habemus ergo omnes Episcopos nobilissimæ synodi profitentes se agnoscere Constantinum Iudicem suarum causarum. Quorum confessioni potius credendum quam inhærendum vnius Constantini modestiæ qui harum contentionem noluit instituere cognitionem. Quanquam & dum sopit controuersias, dum igne ipso rixas extinguit, egit sine dubio partes iudicis, & eo ipso iudicat dum vetat judicari.

Non fuisse autem eam Constantino mentem, vt sese omnipotestate & Imperio in clericos exueret, arguũt eius facta quamplurima. Nam Theodoretus cap. 19. lib. 1. historiæ recitat fragmentum epistolæ Constantini ad Nicomedienses in quo multa conquestus de Eusebio Nicomediensi eiusque adiutoribus hæc addit. *Eam obrem hoc cœpimus aduersus ingratos istos consilium, vt iuberemus arreptos ipsos in remotissima loca deportari.* & paulo post. *Quod si quis audacter inconsulteque ad memoriam, aut laudem pestium istarum exarserit, illius statim audacia ministri Dei hoc est mea executione coercebitur.* Idem Imperator scribens ad synodum Tyri sic loquitur. *Quod si quis reiecto & spreto mandato nostro adesse noluerit, delegabimus aliquem, qui regia illum authoritate in exilium eiectum docebit, hominem minime decere summi Imperatoris præceptionibus ad tuendam veritatem editis resistere.* Euseb. lib.

lib.4.de Vita Constantini cap.42.

III Huius filius Constantius Liberium Romanum Episcopum Beroeam relegauit: Theodor. lib.2.hist.cap. 16.

IV. Cum Constantinopoli ignis domos aliquas corripuisset, incidit suspicio factum id a quibusdam clericis peregrinis, qui paulo post liberati, vinculis iussi sunt vrbe excedere edicto Arcadij & Honorij, fisco quoque adiudicatæ domus, *quæ* (inquiunt A.A.) *Episcopos vel Clericos peregrinos post publicationem edictorum & nostræ serenitatis affatus probabitur suscepisse.* l. 37. *quoniam personæ* Cod.Theod.de Episc.Eccles.& Cler.

V. Gregorium Nazianzenum tractum fuisse ad tribunal consulare, non sine periculo pœnæ corporalis, ibique causam dixisse ex vita eius operibus præfixa, iam ante retulimus.

VI. Apud Sulpitium Seuerum lib.2. Historiæ. Maximus Imperator Episcopos in hæresim Gnosticorum prolapsos, capite plectit.

VII. Cum Symmachus Episcopus Romanus multorum criminum esset postulatus, Rex Theodoricus cognitionem causæ instituit, misitque cognitorem Petrum Altinæ ciuitatis episcopum. Idem Iohannem Papam in carcere necauit. *Anastasius Diaconus: liber Pontificalis, Platina &c.*

VIII. Vigilius Papa Iustiniani iussu grauiter cæsus, parum abfuit quin occideretur, vt ait Platina, cui similia refert Nicephorus.lib.26.cap.17. *Eo insolentiæ progressus est vt & Menam à communione quatuor mensibus excluserit. Idem & sane Menas aduersus eum fecit. Sed enim Iustinianus rebus eiusmodi ad iram commotus qui eum comprehenderent misit.*

misit. Vigilius autem sibi metuens ad Sergij martyris aram confugit, & sacris ibi fistulis implicitus, non prius inde extractus est quam illas euertit.

Quoties Reges nostri Episcopos exilio & pœna corporea multauerint, vel vnus Gregorius Turonensis potest esse testis locupletissimus, quippe scribens quæ vidit, & quorum pars fuit. Cum ageretur causa Prætextati Archiepiscopi Rotomagensis, Gregorius Chilpericum Regem sic affatus est. *Si quis de nobis ô Rex iustitiæ tramitem transcendere voluerit, a te corrigi potest. Si vero tu excesseris, quis te corripet? Loquimur enim tibi, sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiauit esse iustitiam?* Causa variè acta est, & Rege asperius se gerente *Prætextatus a nostris* (inquit Gregorius) *oculis raptus in custodiam positus est. De qua fugere tentans, nocte grauissime cæsus in Insulam maris quod adiacet ciuitati Constantinæ in exilium detrusus est.* Hæc Gregorius lib. 5. historiæ cap. 18. Idem lib. 9. cap. 10. refert Bosonem morte damnatum ad Magnericum Episcopum confugisse. At Regem Gũthramnum hoc audito sic loquutum. *Inijcite ignem in domum, & si exire nequiuerit Episcopus pariter concremetur.* Addo in Chronico testatur *Episcopum qui filiam Chilperici baptisanerat, & matri eam tenere non prohibuerat exilio damnatum.* Nulla hi aut vspiam alibi comminatio Episcopi Romani: nullæ querelæ clericorum clamantium violari iura & libertates Ecclesiæ, clericos habere suum forum, suos iudices, suas pœnas, & prouocationes Romam.

Leges vero Imperatorum qui huc voluerit congerere

congerere, frustra fuerit diligens in re vulgari. Hæ paucæ sufficient ex multis. Authent. Presbyteri. Cod. de Episcopis & Clericis. *Presbyteri seu Diaconi si falsum testimonium perhibuisse conuincantur, si quidem in causa pecuniaria, a diuino ministerio duntaxat per tres annos separati, monasterijs pro tormentis tradantur. Sed si in criminali, clericatus honore nudati legitimis pœnis afficiendi sunt. Cæteri vero clerici, communi iure ab officio Ecclesiastico repulsi sine delectu causæ, verberibus coerceantur.*

Eiusdem Tituli lex 28. hæc habet. *Caueant autem hi qui ita exibunt ex monasterijs ne de religione vel doctrina disputent, vel conciliabulis præsint, vel turba concitata simpliciorum animo seducant: scituri quod si nostræ pietatis statuta neglexerint legum auctoritati subijcientur.* Est autem Lex Leonis & Anthemij. A. A.

Iidem Augusti lege 31. eiusdem Tituli hæc sanciunt. *Si quis hanc sanctam & venerandam antistitis sedem pecuniæ interuentu subijsse: aut si quis vt alterum ordinaret vel eligeret aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis & læsæ Maiestatis accusatione proposita a gradu sacerdotij retrahatur, nec hoc solum deinceps honore priuari, sed perpetuæ quoque Infamiæ damnari decernimus.*

Cod. lib. 1. Tit. 6. Ne sanctum Baptisma iteretur Honorius & Theodos. A. A. hæc edicunt. *Si quis rebaptisare quempiam & ministris Catholicæ sectæ fuerit detectus, vna cum eo qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic cui persuasit vltimo supplicio percellatur.*

Iustinus Augustus lege 41. eiusdem tituli de

Episc. & Clericis. *Absurdum clericis est, immo opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum forensium: temeratoribus huius sanctionis pœna quinquaginta librarum auri feriendis.*

Lex sequens quæ est Iustiniani, sic concluditur. *Iubemus eos qui in suspicionem venerint aliquid horum ausu temerario prætermisisse, primùm quidem ex Domini Dei iudicio periculum, ac deinde positas in hac lege pœnas sustinere.* Clericos autem alloquitur.

Lege 2. si Clericus Cod. lib. 1. de Episcopali audientia. *Si Clericus ante definitiuam sententiam frustratoriæ dilationis causa ad appellationis auxilium conuolauerit: multam quinquaginta librarum argenti quam contra eiusmodi appellatores sanctio generalis imponit cogatur expendere.* Est autem Lex Valentiniani & Valentis Augustorum.

Eodem titulo lege 6. *Si tanta clericorum aut monachorum audacia est, vt bellum potius quam iudicium futurum esse existimetur ad clementiam nostram commissa referantur, vt arbitrio nostro mox seuerior vltio procedat.* Estque Lex Arcadij & Honorij A. A. In quibus omnibus legibus, hoc præcipue obseruandum est, eas esse scriptas non ad Episcopos aut Magistratus Ecclesiasticos, qui nulli tunc erant, sed ad Præfectos Prætorio & Magistratus ciuiles.

Denique Iustinianus quanquam summâ in Clericos indulgentiâ: seueras leges edicit in clericos aleatores & indulgentes spectaculis præcipue vero l. Certissime. Cod. de Episcopali Audientia.

Nihil molliet de harum legum rigore & authoritate qui dixerit clericos non fuisse subditos pœ-

nis

nis ciuilibus nisi post exauctorationem ab Episcopo, nam par auctoritas Principis siue non exauctoratum puniat, siue puniat post exauctorationem ab Episcopo iussu Principis factam: & Episcopus teneatur in eo obsequi Principi: Ideoque Reges & Curia Parlamenti vsi sæpe sunt legis rigore erga clericos sontes quos Episcopi gradu mouere cunctabantur.

Clericos vero debuisse se sistere coram tribunali ciuili docet clare l. omnes 33. Cod. lib. 1. De Episc. & Clericis. *Omnes qui vbiq; sunt vel posthac fuerint orthodoxæ fidei sacerdotes & clerici cuiuscunq; gradus sint, monachi quoq; in causis ciuilibus ex nullius penitus maioris minorisue sententia Iudicis ad extranea iudicia pertrahantur, aut prouinciam, aut locum, aut regionem quam habitant exire cogantur: nullus eorum Ecclesias vel monasteria propria relinquere miserabili necessitate iubeatur, sed apud suos iudices ordinarios, id est prouinciarum rectores in quibus locis degunt, Ecclesiarum ministerijs obsecundent, omniumq; contra se agentium excipiant actiones,* &c.

Ex lege 37 *Omnes praeterea, virorum clarissimorum prouincias moderantium sententijs, absq; vlla priuilegij differentia (qui tamen præsidiali iurisdictioni subiecti sunt) siue Episcopi, vel quilibet Clerici aut Monachi, aut cuiuslibet conditionis sint pariter respondere decernimus* &c.

Episcopis vero forum & Iudicia in rebus ciuilibus clericorum habere concessum, sed vt arbitris sponte electis, & sine iurisdictione coactiua, docet l. Si quis Cod. lib. 1. De Episcopali audientia. *Si qui ex consensu apud sacræ legis antistitem litigare voluerint,*

fiscalia perurgeri. Uniuersos namq; clericos possessores duntaxat prouinciales pensitationes fiscalium translationesq; faciendas recognoscere iubemus. & l. In Ecclesijs quæ est XI. *Clerici non ex alia possessione vel vico, sed ex eo vbi Ecclesiam esse constiterit ordinentur, vt propria capitationis onus & sarcinam recognoscant.* & Nouella 131. De Ecclesiasticis titulis cap. 5. Iustinianus vult possessiones Ecclesiasticas ad sternenda itinera; & ædificationem ac reparationem pontium perinde ac cæteros obligari. Sed & agri Ecclesiæ pendebant tributum teste Ambrosio oratione de tradendis basilicis. *Si tributum petit, non negatur: Agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Et ipse Papa Vrbanns agnoscit Causa 23. q. 8. Can. Tributum agnoscit. *Tributum in ore piscis piscante Petro inuentũ est: quia de exterioribus suis quæ palam cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit.* Ipse Bellarminus cap. 28. lib. de Clericis citat Epistolam quandam Valentiniani ad Episcopos Asiæ sic loquentem, *boni Episcopi tributa pensitant Regibus.* Idem Imperator author est legis cuius meminit Hieronymus in Epistola ad Nepotianũ his verbis. *Pudet dicere, sacerdotes Idolorũ, aurigæ, mimi & scorta hæreditates capiunt: solis clericis & monachis hoc lege prohibetur: & prohibetur non a persecutoribus, sed a principibus Christianis. Neq; de lege conqueror, sed doleo cur meruimus hanc legem.*

Extant quidem in Cod. Theodosiano aliquot leges quæ Clericis plurimum indulgent. Sed nulla vspiam inuenietur quæ neget Clericos esse Subditos Imperatori. Tum aliæ leges longe plures, eiusmodi

eiuſmodi conſtitutiones aut mutant, aut interpretantur. Denique Iuſtinianus iuris Romani recognitor, quicquid erat ambiguum in hac cauſa ſedulo explanauit, & leges clericis fixit Imperatoria authoritate, non ſecus ac reliquis ſubditis, quarum ſumma fuit ſemper vis, & inuiolabilis authoritas, donec Papæ excuſſo Imperatorum Iugo, aucti Regum Francorum immenſa liberalitate cœperunt Imperium affectare, & Eccleſiam toto conatu transformare in Monarchiam temporalem.

Ridiculus fuerit qui hic Imperatorē incuſauerit tyrannidem in Eccleſiam, aut ignorantiam: non enim eſt credibile pios Imperatores Conſtantinum, Valentinianum, Gratianum, Theodoſios, qui dabant ſua, voluiſſe rapere aliena: & qui ſuas opes in Eccleſiam profundebant, conatos eſſe Eccleſiam fraudare, aut ſpoliare, aut premere indigna ſeruitute. Nec ſibi defuiſſent illius æui Epiſcopi quin apud clementiſſimos Imperatores, de iniuria ſibi facta expoſtulaſſent. A quibus querelis tantùm abfuerunt; vt etiam vltro ſe plurimum debere faſſi ſint, & coram ciuilibus tribunalibus obiuerint vadimonia, & tributa ſoluerint, & Imperatores ſuos Dominos agnouerint. Quā in rē protulimus exēpla Chryſoſtomi, Ambroſij, Naziāzeni, Hieronymi, Gregorij, & Vrbani Pontificū: qui cū cæteris in rebus eſſent acerrimi defenſores Eccleſiæ, nō eſt conſentaneū eos in hac vna cauſa Eccleſiæ dignitatem & libertatem prodidiſſe: & eos qui auſi ſunt aduerſus malorum conatus ἐλευθεροστομεῖν non auſos fuiſſe apud fauen-

voluerint, non vetabuntur : sed experientur illius in ciuili duntaxat negotio, more arbitri, sponte residentis iudicium. Quod his obesse non poterit, nec debebit quos ad prædicti cognitoris examen conuentos potius absfuisse quam sponte venisse constiterit. Nec minus diserta est Nouella Valentiniani. 3. Tit. 12. de Episcopali Iudicio. *Cum inter Clericos iurgium vertitur, & ipsis litigatoribus conuenit, habeat Episcopus licentiam iudicandi præeunte tamen vinculo compromissi, quod & de laicis si consentiant authoritas nostra permittit aliter eos iudices esse non patimur, nisi voluntas iurgantium interposita, (Sicut dictum est) conditione præcedat, quoniam constat Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis secundum Arcadij & Honorij diualia constituta, quæ Theodosianum corpus ostendit, præter religionem posse cognoscere. Si ambo eiusdem officij litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & iure communi.*

Semper autem ad principem, & Ciuilem Magistratum dabatur prouocatio, vt habetur In Authent. si ex Imperiali. Cod. de Episcopali audientia. *Si ex Imperiali iussione aut Iudiciali præcepto Episcopus iudicat inter quascunque personas : appellatio aut ad principem, aut ad eum qui transmisit negotium transferatur.* & Nouellæ 83. Rubrica hæc est. *Vt clerici apud proprios Iudices conueniantur, & post hoc apud ciuiles iudices.* Quæ etiam fuit sanctio Regum Gotthorum in Italia, vt legitur apud Cassiodorum Variarum. lib. 8. Ep. 24. & semper licuit litigantibus declinare forum Episcopi vt docet l. 29. eiusdem tituli § Has autem. *Si ciuilium rerum controuersia sit, volentes quæstionem apud antistites*

stites instituere patiemur, inuitos tamen non cogemus: cùm Iudicia ciuilia sint, si ea adire malint, apud quæ licet etiam de criminibus cognoscere.

Carceres autem ne quis habeat sine iussu Imperatoris cautum eodem titulo l. 22. Tantum iubentur Episcopi semel septimana coniectos in vincula visitare.

Iam quod ad Immunitates attinet, inueniuntur quidem leges plurimæ Imperatorum quibus clerici a sordidis muneribus, & a personalibus ministerijs & parangaria præstatione, & a tutela seu testamentaria, seu legitima, seu datiua, & a cura pupillorum eximuntur. Sed hoc totum priuilegium fuisse & indulgentiam principum, generaliter quidem omnibus clericis, peculiariter vero Romanæ vrbis clero concessum, docet l. Generaliter. 52. Cod. de Episc. & Cler. verba legis sunt. *Propter hoc ipsum beneficium eis indulgemus, vt alijs omnibus derelictis Dei omnipotentis ministerijs inhæreant. & hoc non solum in vetere Roma, vel in hac regia ciuitate: sed & in omni terra obtinere sancimus.* Cum ergo Clerici hodie tractent ciuilia, debent iuxta hanc legem excidere suis priuilegijs. *Cod. lib. 1. Tit. 2. de sacros. Eccles. leg. 11 & 12. & Tit. 3. de Episc. & Clericis l. 2 & 6. & 52.*

Ac ne forte Clerici putarent se his immunitatibus plane exemptos a Subiectione Imperatorũ, prudentia Principum noluit eos in omnibus esse immunes. Sic Constantinus & Iulianus Cæsares scribunt ad Taurum præfectum prætorio lege 3. Cod de Episc. & Clericis. *De his Clericis qui prædia possident, sublimis authoritas tua non solum eos aliena iuga nequaquam statuet excusare: sed etiam pro ijs prædijs quæ ab ipsis possidentur, eosdem ad pensitanda*

 fiscalia

fiscalia perurgeri. Vniuersos namq́ clericos possessores duntaxat prouinciales pensitationes fiscalium translationesq́ faciendas recognoscere iubemus. & l. In Ecclesijs quæ est XI. *Clerici non ex alia possessione vel vico, sed ex eo vbi Ecclesiam esse constiterit ordinentur, vt propriæ capitationis onus & sarcinam recognoscant.* & Nouella 131. De Ecclesiasticis titulis cap. 5. Iustinianus vult possessiones Ecclesiasticas ad sternenda itinera;& ædificationem ac reparationem pontium perinde ac cæteros obligari. Sed & agri Ecclesiæ pendebant tributum teste Ambrosio oratione de tradendis basilicis. *Si tributum petit, non negatur : Agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Et ipse Papa Vrbanns agnoscit Causa 23. q. 8. Can. Tributum agnoscit. *Tributum in ore piscis piscante Petro inuentũ est: quia de exterioribus suis quæ palam cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit.* Ipse Bellarminus cap. 28. lib. de Clericis citat Epistolam quandam Valentiniani ad Episcopos Asiæ sic loquentem, *boni Episcopi tributa pensitant Regibus.* Idem Imperator author est legis cuius meminit Hieronymus in Epistola ad Nepotianũ his verbis. *Pudet dicere, sacerdotes Idolorũ, auriga, mimi & scorta hæreditates capiunt : solis clericis & monachis hoc lege prohibetur : & prohibetur non a persecutoribus, sed a principibus Christianis. Neq́ de lege conqueror, sed doleo cur meruimus hanc legem.*

Extant quidem in Cod. Theodosiano aliquot leges quæ Clericis plurimum indulgent : Sed nulla vspiam inuenietur quæ neget Clericos esse Subditos Imperatori. Tum aliæ leges longe plures, eiusmodi

eiusmodi constitutiones aut mutant, aut interpretantur. Denique Iustinianus iuris Romani recognitor, quicquid erat ambiguum in hac causa sedulo explanauit, & leges clericis fixit Imperatoria authoritate, non secus ac reliquis subditis, quarum summa fuit semper vis, & inuiolabilis authoritas, donec Papæ excusso Imperatorum Iugo, aucti Regum Francorum immensa liberalitate cœperunt Imperium affectare, & Ecclesiam toto conatu transformare in Monarchiam temporalem.

Ridiculus fuerit qui hic Imperatorẽ incusauerit tyrannidem in Ecclesiam, aut ignorantiam: non enim est credibile pios Imperatores Constantinum, Valentinianum, Gratianum, Theodosios, qui dabant sua, voluisse rapere aliena: & qui suas opes in Ecclesiam profundebant, conatos esse Ecclesiam fraudare, aut spoliare, aut premere indigna seruitute. Nec sibi defuissent illius æui Episcopi quin apud clementissimos Imperatores, de iniuria sibi facta expostulassent. A quibus querelis tantùm abfuerunt; vt etiam vltro se plurimum debere fassi sint, & coram ciuilibus tribunalibus obiuerint vadimonia, & tributa soluerint, & Imperatores suos Dominos agnouerint. Quã in rẽ protulimus exẽpla Chrysostomi, Ambrosij, Naziãzeni, Hieronymi, Gregorij, & Vrbani Pontificũ: qui cũ cæteris in rebus essent acerrimi defensores Ecclesiæ, nõ est consentaneũ eos in hac vna causa Ecclesiæ dignitatem & libertatem prodidisse: & eos qui ausi sunt aduersus maiorum conatus ἐλλ...εγχομαῖν non ausos fuisse apud fauen-

tes & beneuolos Principes veritatem proloqui.

His tamen Imperatorum legibus Bellarminus lib. de Clericis c. 28 opponit Canonem nonum Concilij Chalcedonensis. *Si Clericus aduersus Clericum habet negotium non relinquat Episcopum suum, & ad secularia iudicia recurrat* &c. Sed omittit summa fraude, verba sequentia, *Sed prius ventiletur res apud proprium Episcopum.* Nam hæc vox PRIVS, perspicué supponit post cognitionem Episcopi posse iri ad iudicia secularia: tum vox *γυμναζέσθω ventiletur*, non est accommodata ad significandum iudicium definitiuum, & cui necessario acquiescendum sit.

εἴ τις κληρικὸς πρὸς κληρικὸν πρᾶγμα ἔχοι μὴ ἐγκαταλιμπανέτω τὸν οἰκεῖον ἐπίσκοπον, καὶ ἐπὶ κοσμικὰ δικαστήρια κατατρεχέτω, ἀλλὰ πρότερον τὴν ὑπόθεσιν γυμναζέσθω παρὰ τῷ ἰδίῳ ἐπισκόπῳ.

Subiungit Cardinalis Synodi Agathensis Canonem 32. *Clericum nullus præsumat apud secularem Episcopo non permittente pulsare* &c. Sed & hic quoque insignis falsitas & corruptela. Omnes enim codices Synodi Agathensis habent. *Clericus nullum præsumat*, non vero *Clericum nullus præsumat.* Auctor falsitatis istius Gratianus 11. quest. 1. Can. Clericum. Consimili fraude lex Codicis Theodosiani 23. *Qui mos est*, deprauatur Causa 11. Quest. 1. Can Continua. *Continua lege sancimus vt nullus Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt ad iudicia siue ordinariorum siue extraordinariorum iudicum pertrahatur, habent enim illi suos iudices, nec quicquam his est publicis commune cum legibus.* Hactenus Gratianus: at omisit verba sequentia, *quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet.*

Fateor quidem inueniri Canones Conciliorum qui iubent ortas inter clericos contentiones co-

ram Episcopo transigi, & declinari a Clericis iudicia sæcularia: At nullus Canon fundos & prædia Ecclesiastica vetat esse ὑποτελῆ. Nullus Canon negat clericos esse subditos Imperatori. Nullus vetat Magistratum ciuilem de causis aut criminibus Clericorum instituere cognitionem, aut vetat Clericos vocatos ad ciuile tribunal respondere. Nec si quis clericus reus est atrocis alicuius facinoris, definitũ vnquã est eũ non posse capite plecti Principis iudicio. Cumque actor sequatur vulgo forum rei, nusquam Concilia voluerunt laicum reum trahi ad tribunal Episcopi, aut prohibuerunt in causis ciuilibus prouocationem ab Episcopo ad Principem, aut actori laico eripuerunt rem adiudicatam, aut iusserunt causam a Iudice sæculari iudicatam retractari coram Episcopo. Sed Clerici ex compacto inter se declinabant forum ciuile, quia erat indecens clerico lites sequi, aut circa forum conteri, & curam rerum sacrarum litis sufflamine retardari. Quod si Concilia clericum notant, aut puniunt qui in ciuili vicerit: non ideo rescindunt sententiam Iudicis. Nam idem potest fieri a quolibet priuato. Sic testator aut donator potest donationibus suis & legatis inserere eiusmodi conditiones: ne legatarius, neue hæres apud Iudicem de hac aut illa causa agat. Si fecerit, donatione aut hæreditate excidat.

Porro etsi nihil habent antiqua concilia quæ nobis obsint, non est tamen dissimulandum, Episcopos auctores horum canonum non fuisse idoneos iudices exemptionis clericorum, vtpote facta in rem suam. Nunquam enim tulissent ipsi

in se sententiam. Nec quisquam est qui consultus an velit esse liber, an vero subiectus, non præferat libertatem subiectioni.

Obijcit quoque Bellarminus cap. 35. in Barklaium legem septimam De Episcopis & Clericis, In Cod. Theodos. vbi vetantur clerici ad curias deuocari, & iubentur plena immunitate potiri. Sed Bellarminum fefellit ignoratio Latini sermonis, dum putat *ad curias deuocari* idem esse quod trahi ad tribunal seculare, aut Iudicia Imperatoris. Sed errat toto cœlo, nam ad curias reuocari nihil aliud est quam redigi in numerum Curialium, & a functione Ecclesiastica ad munus seu functionem ciuilem transferri: Curiales enim erant qui per oppida exercebant ciuilia munera; quos lex 53. Tituli III. de Episcopis & Clericis, vocat βουλευτὰς, & curiam βουλὴν. & Nouella 123. cap. 1. vetat Episcopum ordinari *curialem vel officialem*. Cum autem in functione curialium, qui & curiones & decuriones appellabantur, plus esset oneris quam honoris, & mos esset ditissimos cuiusque oppidi vel inuitos vocare ad curiam, id est ad capessendum munus curionis vel decurionis, a quibus muneribus resilire & eximi non possent: Imperatorum lege clerici eximuntur ab hac necessitate eisque conceditur ne possint ad curialia munera vocari. Non secus ac in Galliæ pagis & oppidulis non leue priuilegium putatur, non posse fieri collectorem tributorum. Inde est quod tot leges vetant curiales deserta curia transire in clerum, & Monachi desertores propositi in pœnam peccati traduntur curiæ *χρηματιστὰς ὑποστηνόμενοι

*Vt sustineant ministeria quæstuaria seu pecuniaria.

μισθοὶ λειτουργίας, Si fuerint in re lautiori: Sin vero pauperes, corporales, vt iubetur lege 53. Cod. de Episc. & Clericis. Plura de Curialibus vide in Cod. Theodosiano. l. de Curialib. & agnatione. Tit. 1.

Cap. XXIII.

Monarchiam Papalem enatum ex ruinis Imperij Romani.



VT animantium ita Imperiorum quædam est adolescentia, quædam stata ætas, quædam senectus atque decrementa. Ergo & Imperij Romani quo non aliud extitit post homines natos maius aut melius constitutum, finis quidam fuit. Cuius dum vires erant integræ, Episcopus vrbis Romæ sola spiritualia tractabat, idque authoritate magis quam imperio. Nec Episcopus Vniuersalis. aut totius Ecclesiæ caput, sed primæ sedis Episcopus vocabatur, idque ob prærogatiuam vrbis, non ob Petri sedem, nam & Antiochena & Alexādrina pari successione gloriabantur, & Romanam sedem antiquitate superabant. Quæ prior dicebatur ordine, non potestate, nihil habens iurisdictionis in cæteras.

At postquam Romanum Imperium concidit in Occidente, Herculis, Gottis, Francis, Burgundis ad eius casum accurrentibus, non secus ac ad casum proceræ arboris arrepta securi concurritur: in

in Oriente vero Imperatores impliciti Sarracenico bello, sua ægre tutabantur : & Roma propemodum pro derelicto habita, nec Imperatori satis virium ad tutandam Italiam : Episcopus Romanus cœpit erigere cristas,& Imperij terreni ponere fundamenta:vsus ad eam rē summo artificio, nec minore successu. Quod qua occasione factū, & quo rerum secundarum æstu subuectus, tanti Imperij culmen insederit, operæpretium est cognoscere.

Sedes Imperatorum in Occidente erat Roma, vsque ad Valentinianum secundum qui nescio quo consilio Imperij sedem, Rauennæ posuit. Quod exemplum secutus Theodoricus Rex Gotthorum deleto in Italia Imperio Romano, Episcopi Romani apud suos ciues & suburbicaria oppida creuit authoritas: quasi amoto rectore, cuius splendor præsens sedis Episcopalis dignitatem offuscabat. Sed & altrinsecus auctus est spiritus Archiepiscopo Rauennati, qui quod vrbs sua sedes esset regni, de primatu cum Episcopo Romano diu decertauit.

Septingenti & amplius a Christo anni effluxerant cum cœperunt sedi Episcopi Romani affulgere primæ spes terreni Principatus, & prima consilia apparere statuendæ Monarchiæ. Distinebatur Imperator in Oriente grauissimo & periculoso bello aduersus Sarracenos. In Italia vero nihil possidebat præter Exarchatum Rauennatem & Ducatum Romanum: nam cætera a Longobardis tenebantur. Cum ergo Roma infirmo præsidio teneretur, Episcopus Romanus cœpit

ma-

maiora animo agitare: quærentique occaſionem iugum excutiendi, ecce, acommodùm, peropportuna occaſio ſe obtulit. Anno enim Chriſti 712. Philippicus Bardanes imperium obtinebat, qui initio imperij retulit de abolendis ſanctorum imaginibus, circa quas ſuperſtitio gliſcebat. Hanc anſam Conſtantinus Pontifex arripit: Nam vidēs Philippicū ciuili bello implicitū, Italiæ Epiſcopos vocat ad Concilium, in quo, authore Papa decretum eſt habendas eſſe & colendas imagines. Neq; hoc contentus populū Romanum inſtigat in Imperatorem, vt inimicum ſanctis: Populo aſſentiente decretum eſt ne Philippici hæretici litteræ aut nummi reciperentur: neque nomen eius in ſacra liturgia ederetur, neue imago eius de more in templum inferretur. Quin & peruagante Italiam tumultu, Iohannes Exarchus Rauennæ occiſus eſt. Prima hæc fuit Epiſcopi Romani in Imperatorem rebellio.

Miſſus a Philippico in Iohannis locum Petrus quanquam reſiſtentibus Romanis Romam ingreſſus eſt, & morte Philippici ſedatâ contentione Anaſtaſius eius ſucceſſor Italiam per Exarchos, vt ante, tenuit: Is imagines paſſim reſtituit.

Conſtantino Papæ mortuo ſufficitur Gregorius II. Nec multo poſt Anaſtaſius acie victus a Leone Iſauro, Imperio excidit. Quo anno Sarraceni in Hiſpaniam effuſi Gotthorum regnum euerterunt. Hic Leo, cùm Gregorio non ſatis morigero vteretur, vt erat Impotens animi, Marinum Spatharium ſuum, quem Ducem Romanæ vrbis creauerat, et poſt hunc Paulum Exarchum

miſit

misit in Italiam, additis mandatis vt Gregorium quoquo modo interficerent aut loco mouerent. At Gregorius quo saluti suæ consuleret, Exarchum grauissimo bello Implicat, accito in auxilium Luitprando Rege Longobardorum, qui Rauennam vsque prouectus, eam obsidione cingit & tandem capit. Anno 725. Sed Paulus Rauenna eiectus, copijs auxiliaribus Venetorum auctus Rauennam ex improuiso adoritur & recipit.

Inter hæc Leo toto Imperio Imagines delebat, vnde varij motus in Græcia & Asia, quibus sedandis dum Leo intentus est, Gregorius non sibi defuit: Nam Italos ad defectionem solicitauit, eoq; authore defecerunt ab Imperio Romani, Campani, Rauennates & Pentapolitani; Nec populus a magistratibus ipsis abstinuit. *Ita* (inquit Sigonius lib. 3.) *Roma Romanusq; Ducatus a Græcis ad Romanum pontificem propter nefandam eorũ hæresim impietatemq; peruenit.* Sic enim vocat odium imaginum. Ex his patet prima Papalis Monarchiæ fundamenta super ruinis Imperij fuisse locata, & Papæ vires Imminutione Imperij creuisse. Factum id anno. 727. Eutychus tamen Exarchus biennio post Romam ingressus est armatus: Inter quæ moritur Gregorius II. anno 731. cui Gregorius III. suffectus, acerrimus defensor imaginum. Qui dum Romanum Ducatum possideret, viresque deessent, facile est a Luitprando Rege fortunis omnibus exutus. Iamque premebat Rex romam obsidione, cum Gregorius clam summissis in Galliam Legatis opem Caroli Martelli implorat, cui inter Francos ad regnum nihil nisi Re-

gis

gis nomen deerat: missisque ad eum, Inusitato exemplo clauibus sancti sepulchri, tantum effecit, vt eo intercessore Luitprandus obsidione absisteret. Quo loco Sigonius fœdus a Francis initum cum Romana Ecclesia vt rem inusitatam refert. *Carolus* (*inquit*) *primus è Francis a Pontifice Romano ad amicitiam est appetitus.*

Annus 741. insignis est morte Leonis, Caroli Martelli & Gregorij Papæ. Leoni Constantinus filius: Gregorio Zacharias; Carolo Pipinus in Præfectura Palatij successit.

Hic Zacharias moritur anno 752. rebus (vt ait Sigonius) non *tam pré quàm prospere gestis.* Succedit Stephanus II. sub quo Aistulphus Rex Longobardorum Rauennam cœpit, & reliquias Imperii Romani in Italia deleuit: Vnde sibi spondens imperium totius Italiæ, Pontificis ditionem inuasit, quippe quæ esset portio Exarchatus Rauennatis, cuius iam maximam partem subegerat. Quibus in angustijs Pontifex quanquam defecisset ab Imperatore, suo Domino, eius tamen auxilium implorat. At imperator segniter rem gerens, seu Papam oderat, seu viribus suis diffisus, satis habuit Aistulphum monere per legatos. Inter quæ Stephanus in Galliam ad Pipinum venit. Erat tunc Pipinus Ponticone, vbi (si fides historicis Pontificijs qui in talibus multa mentiuntur) Pipinus Papæ obuiam processit, eum adorauit, & descendenti ex equo, atque ascendenti, stratoris munus impleuit. Egit Stephanus cum Pipino veteratorié, obtendens sacrosanctum Petri nomen, ostētans titulos Ecclesiæ Romanæ, spondens remissi-

missionem peccatorum & salutem, si ad Ecclesiæ Romanæ auxilium festinus aduolaret. Addebat bellum gerẽdum ea lege vt si Exarchatus & Pentapolis reciperentur, non Imperatori restituerentur, sed Ecclesiæ Romanæ dono darentur. Ac quamuis Franci tunc temporis Imagines auersarentur, & liturgia Romana a Gallica esset longe diuersa, De his tamen Papa apud Regem non egit; nam ad incrementum suarum rerum, & curas temporales totus animum adiecerat.

Igitur Pipinus delectu habito, infestum exercitum, semel atque iterum, trans Alpes rapit, Italiam fugà & terrore complet, Aistulphum Papiæ qua & Ticinum obsidet. Pax tandem in has leges facta, vt Aistulphus Exarchatum & Pentapolin rapta Imperatori Romano, daret Romano Pontifici: Frustra reclamantibus legatis Constantini, & dicentibus licere Pipino liberalem esse de suo: at erepta Imperio Romano restituenda esse Imperatori, non vero danda Pontifici. Hæc gesta sunt annis 755. & 756.

Hanc Pipini immensam liberalitatem, Carolus cui Magno cognomen, plurimum auxit, anno 774. victo & capto Desiderio vltimo Rege Longobardorum. Secutusque exemplum Ludouicus Pius Caroli filius patris & aui beneficia, nouis beneficijs cumulauit.

Ergo Pontifex locupletatus exuuijs imperij Romani, cœpit nihil modicum spirare, & immẽsa animo agitare. Nametsi Carolus Magnus subacta Italia titulũ Imperij Romani, & supremũ Dominiũ vrbis Romæ sibi retinuisset, Papa tamen tanto

to astu abusus est facilitate successorum Caroli, vt ad eos quidem nomen Imperij & regni Italiæ, ad Papam vero vis pertinet.

Ad quas immensas opes accedebat potestas spiritualis, quæ in dies augebatur paribus incrementis cum temporali. Nam Gallia cœpit ritu Romano Eucharistiam celebrare: eodemque tempore enata est opinio Transubstantiationis, & imagines in templa passim introductæ, solatium populo, quasi ad supplendum locum sacræ Scripturæ quæ populo sensim subtrahebatur. Tum Purgatorij terror additus, & nullibi non miracula. Quod si Princeps aliquis peccasset libidine aut auaritia, illico fulmina & diræ. Aut si inter duos Principes bello certaretur, Papa se certãtibus immiscens sub titulo arbitri, sic rem componebat, vt semper ad se aliquis fructus rediret. Accesserunt bella Ierosolymitana, ad quæ quicunque se voto astrinxerat, cruce signabatur, & fiebat Papæ subditus: euntibus autem promissa erat remissio peccatorum, & in cœlis gradus gloriæ supra plebem sanctorum, vt habetur in bulla Innocentij III. quæ subiuncta est primæ synodo Lateranensi. Fructus & finis belli quod Europam viris exhauriebat, statuere in Oriente colonias Imperij Papæ, qui ibi legatum habebat Papæ vices gerẽtem. Ergo deposito pedo pastorali sumpta est corona triplex quæ *Regnum* appellatur: & vestis coccinea insigne Romani Imperij, & adoratio, Deique titulus, & plurima quæ etiam Maiestatem Imperialem longe excedunt. Quin & Regum & Imperatorum more Papa cœpit bella gerere,

rere,& acie confligere: Quæ res Leoni nono cessit improspere, quippe qui in bello aduersus Sisulphum Regem Normanorum acie victus, & captus est Sigebertus anno 1050. Platina in Leone IX. Nec finis fuit donec Gregorius VII. anno 1076. Imperatorem ausus est deturbare Imperio; & ius sibi arrogare dandi ac auferendi regna & Imperia. Semperque creuit Immanis ista potestas, vsq; ad Leonem X. qui cum ærusčatores tota Europa misisset, qui remissionem peccatorum certo pretio addicerent, & de cuiuslibet animæ liberatione expurgatorio diplomata, sed care empta, largirentur, Lutherus ausus est in cauponationem istam magno animo inuehi, & sacram scripturam quam attingere laicis erat religio & summum piaculum vulgauit vernaculo idiomate: Vnde patuerunt arcana mysterij iniquitatis, & subita populorum & gentium secuta est defectio.

Hæc a me non dici partium studio, sed ex historiarum fide multi mihi testes, exceptione maiores. Vnus instar omnium erit Nicolaus Machiauellus, cuius hæc sunt verba in præclaræ suæ historiæ Florentinæ libro. 1. quam dicauit Clementi VII. pontifici. *Cum ergo (inquit) Imperator factus esset Christianus, & se Constantinopolim recepisset, inde secuta est inclinatio imperij Romani, & Ecclesiæ Romanæ incrementum. Nihilominus vsque ad aduentum Longobardorum (cum Italia tota Imperatoribus aut Regibus esset subdita) Pontifices ea solum authoritate pollebant, quam eis morum & doctrinæ sanctitas conciliabat. Cæteris in rebus, obsequebantur Imperatoribus aut Regibus, qui aliquoties eos*

morte

morte affecerunt, & in suis negotijs ciuilibus eorum ministerio vsi sunt. Præcipue vero Theodoricus Rex sedem regni Rauennæ locans, authoritati Papæ magnum momentum addidit: quia cum Roma præsentia Principis esset destituta, Romani vt haberent aliquod refugium, Papæ impensius obsequebantur. Non multùm tamen inde creuit eius authoritas: sed tantum Ecclesia Romana hanc prærogatiuam assecuta est, vt Ecclesiæ Rauennati anteponeretur: At cùm Longobardorum aduentu Italia in plures partes esset scissa, data est occasio Pontifici vires suas augendi. Factus enim est propemodum Princeps Romæ, vnde Imperator Constantinopolitanus & Longobardi eum tanto honore prosequebantur vt Romani Papæ interuentu, cum Longobardis & Longino fœdus percusserint, non vt subditi, sed vt socij. Et hoc pacto Pontifices inter Langobardorum & Græcorum amicitiam medij, & nunc horsum, nunc illorsum inclinantes, augebant sensim suam dignitatem. At paulo post accidit ruina Imperij Orientalis sub Heraclio a Sclauis, Persis, Sarracenis, &c. Addit auxilium petitum a Francis aduersus Longobardos, & bellis omibus quibus ab eo tempore Italia afflicta est Pontifices causam præbuisse. Denique his verbis claudit sermonem. *Quocirca ad scribendas res quæ sunt consecuta non opus erit immorari ruinæ Imperij Romani, quod plane corruit, sed incrementis Pontificis.*

Satis opinor probatum Monarchiam Papalem ex ruinis Imperij Romani enatam, eius decrementis accreuisse. Tum si deessent historiæ, ratio tamen ipsa id necessario suggereret. Nunquam enim Augusti passi fuissent statui nouum Impe-

Imperium in sui Imperij vrbe nobilissima, nisi viribus Imperij iam fractis, & ad resistendum inualidis. Adde quod facilius fuit imponere Francis & Germanis quam Imperatori Græco. Nam illis militaris animus, & ad bella infractus, sed insita facilitate sequax & technarũ Pontificis insolens, & religionis Christianæ rudis, assuetusque credere aliena fide: At Imperatores Græci pridem assueuerant imperare Episcopis Romanis, & de eorum capite & fortunis statuere. Tum illis Græcum ingenium, eoque vafrum & perspicax & qui in sua vrbe habebant Patriarcham qui potentiam Episcopi Romani æmulabatur, & de primatu contendebat. Versæ ego in nostram gentem technæ, a qua Pontifex in immensam potestatem euectus, hanc refert Francis, eorumque Regi gratiam, ex qua Regum cædes, extranei ad Regnum vocati, strages populi, & intestina bella consequuntur.

Cap. XXIV.

Panduntur super hac re arcana Prophetiarum.



HVius rei obseruatio nos ad subliniorem meditationem euehit, & vocat ad sacrosancta vaticinia, quæ pridem Deus est effatus per suos Apostolos & Prophetas. Paulus enim Apostolus 2. ad Thessalonic. cap. 2. agens de aduentu *hominis peccati & filij perditionis*. his notis cũ cõpungit,

git, 1. Quod se Deum vocabit. 2. Quod edet miracula. 3. Quod cadente Imperio Romano se eriget. Hanc tertiam notam his verbis concipit. μόνον ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται, καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος. Quem locum sic vertit vulgata *tantum vt qui tenet teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus* Hic enim vox κατέχειν nihil aliud est quam tenere, seu obtinere, vel possidere vt 1. Cor. 7. com. 30. οἱ ἀγοράζοντες ὡς μὴ κατέχοντες. Mens enim Apostoli est eum qui suo tempore summa rerum erat impositus, summoque Imperio potiebatur, prius esse abolendum quam iste ἄνομος, filius perditionis reueletur. Si cui tamen placuerit per κατέχειν intelligere, inhibere, seu impedire, eodem res recidet: quippe cum docuerimus multis exemplis Imperatores gliscentem Paparum arrogantiam sæpe retudisse, & vires Imperij stantes & integras Papalem Monarchiam retardasse. Neque vero hæc sunt nostra commenta, sed perspicua Pauli prædictio, veteris Ecclesiæ firmata consensu, & comprobata experimento. Locum enim hunc Pauli sic explicat Tertulianus lib. de resur. carnis. cap. 24. *Tantum qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat, quis nisi Romanus status cuius abscessio in vndecim Reges dispersa Antichristum superducet?* Concinit Chrysostomus in hunc locum. * τί δήποτ' οὖν ἐστὶ τὸ κατέχον ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν τουτέστι τὸ κωλῦον; οἱ μὲν τοῦ πνεύματος τὴν χάριν φασί, οἱ δὲ τὴν ῥωμαϊκὴν ἀρχήν, οἷς ἔγωγε μάλιστα τίθεμαι. Scholiastes Græcus ex varijs interpretibus contextus. κατέχον φησὶ τὸ κωλῦον καὶ ἐμποδίζον. τί δὲ τοῦτο; οἱ πολλοὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον φασίν, ἄλλοι δὲ τὴν Ρωμαίων ἀρχήν

ementes. τὸ non possidentes.

Quid est istud quod tenet ne manifestetur? id est quod impedit? alij quidem dicunt gratiam sp. Sancti, alij Imperium Romanum, ad quos maxime accedo.

** Vocat. κατέχον quod prohibet & Imperat.*

Quid illud est autem multi spiritum sanctum dicunt. alij vero Romanum principatum qui quidem melius sentiunt.

Quando dissolutum fuerit Romanum Imperium tunc reuelabitur impius, id est, Antichristus, quando enim dissolutum fuerit Romanum Imperium, tunc Antichristus Anarchiæ imminebit, & conabitur arripere dominationem.

ἀρχὴν, οἱ καὶ βέλτιον λέγουσι. Et paulo poſt. ὅταν καταλυθῇ ἡ Ῥωμαίων ἀρχὴ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, τουτέστιν ὁ Ἀντίχριστος ἐπιθήσεται τῇ ἀναρχίᾳ καὶ κρατῆσαι ἐπιχειρήσει. Auguſtinus 19. cap. lib. 20. de Ciuitate. *Illud quod ait Apoſtolus, Tantum qui modo tenet teneat donec de medio fiat, non abſurde de ipſo Romano imperio creditur dictum: tanquam dictum ſit, tantum qui modo Imperat imperet, donec de medio fiat.* Hieronymus 11. quæſtione ad Algaſiam hunc locum ſic explicat. *Niſi* (inquit) *Romanum Imperium antè deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit Chriſtus non veniet.* Et paulo poſt. *Nec vult aperte dicere Romanum Imperium deſtruendum quod ipſi qui imperant æternum putant. Vnde ſecundum Apocalypſim Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ: id eſt Romæ æternæ. Si enim aperte audacterq; dixiſſet, non veniet Antichriſtus niſi prius Romanum deleatur Imperium: iuſta cauſa perſecutionis in orientem tunc Eccleſiam conſurgere videbatur.* Quæ opinio vulgo recepta inter Chriſtianos veteres cauſam præbuit orandi pro duratione Imperij Romani, vt docet Tertullianus Apologetici cap. 31. *Eſt & alia* (inquit) *maior neceſſitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni ſtatu Imperij rebusq; Romanis, quod vim maximam vniuerſo orbi imminentem, ipſamq; clauſulam ſeculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperij commeatu ſcimus retardari.* Quam vim maximam de aduentu Antichriſti Zephyrus interpretatur.

Eodem ſpiritu cum Paulo Apoſtolo afflatus Iohannes Apoc. 13. Imperium Romanum nobis effingit ſub figura belluæ ſepticipitis, cuius ſeptem

capita

capita sunt septem diuersæ Regnandi formæ, nec non septem montes quibus Roma insidet. Vt ipse Spiritus Sanctus interpretatur Apoc. 17. vers. 9. & 10. Eidem belluæ affingit decem cornua quia Imperium Romanum decem præcipuis prouinciis constabat: quibus nitebatur robur Imperij: nam cornua stilo sacræ scripturæ, robur significant. Hæc bellua saucia lethaliter sanatur, eique vires redduntur, sub alio titulo, nempe Hierarchiæ Romanæ. Idque ope alterius bestiæ quæ ex *terra emergit* vers. 11. id est ex infima sorte, & *cornua agni præfert. sed loquitur vt araes* vers. 11. Id est Christi nomen, eiusque fidem obtendit? sed loquitur impia, *& exercet potestatem prioris bestiæ coram illa*, vers. 12. id est potestatem & iura prioris Imperij vsurpat, idque in ipsa sede Imperij, id est Roma. *Et iubet adorari priorem bestiam sanatam.* Id est Imperium Romanum Hierarchicum per quod Imperij collapsi decus est restitutum. *& miracula edit.* vers. 13. *& erigit imaginem prioris bestiæ.* vers. 14. id est erigit Imperium ad imitationem prioris Imperij Romani, vt prolixè docebitur. *Viuit autem & loquitur hæc imago* vers. 14 & 15. id est hoc Imperium etsi opinione constans, habet tamen vires & loquitur grandia. Occiduntur autem qui hanc bestiam non adorauerint, versu 15. id est qui non se submiserint Papali Imperio. *Notantur quoque charactere in fronte subditi huius Imperij.* vers. 16. Quæ nota in clericis est clericalis character, in laicis titulus & professio Romani, sine qua nota excluditur quilibet à mercimoniis & beneficiorum nundinatione vers. 17. Cuius bestiæ

1. Italia. 2. Hispania. 3. Gallia. 4. Germania. 5. Pannonia cum Dacia & Mæsia. 6. Græcia. 7. Asia minor. 8. Syria. 9. Aegyptus. 10. Africa. Insulæ sunt continentis appendices.

stiæ nomen lingua Apostoli vsitatum subductis numeris efficit 666. vers. 18. quem numerum inuenies in voce ΛΑΤΕΙΝΟΣ vt pridem monuit Irenæus. Ecclesia enim Græca Ecclesiam Papalem non vocat nostro more *Romanam*, sed *Latinam*, & Papam Episcopum *latinum*. Papæ! quanta lux se hic vel nolentibus offundit, & quam graphicé hic nobis Papa eiusque Hierarchia depingitur. Peruolue historias, lustra oculis quæcunque sunt toto orbe, ne viuam si vllum vspiam hominem inuenies, in quem hæc omia quadrent: præter vnum Pontificem Romanum.

Ac ne quid ad perfectam Papæ & sedis Romanæ descriptionem desideretur, caput decimum septimum Apocalypseos nobis eum tam ad viuum depingit, vt nullus sit locus dubitationi. Principio vrbs Roma vocatur magna meretrix, versu. 1. & Babylon vers. 5. quin & dicitur *insidere septem collibus* versu 9. inde & ἑπτάλοφος, & festum vrbis *Septimontium*, ait Varro lib. 5. de lingua latina. Et versu 18. *Mulier illa quam vidisti est magna illa ciuitas regnans in reges terræ.* Fatetur quidem Bellarminus, hæc dici de vrbe Roma, sed Ethnica. At contra sunt Viegas & Ribera Iesuitæ, pertendunt enim hæc dici de Roma qualis futura est sub Antichristo. Cum enim cap. 18. Apocalypseos prolixé describatur vltimum excidium istius vrbis, non potest hoc dici de Roma Ethnica, quippe quæ sub paganismo semper floruit. Adde quod sub specie fœminæ hic depingitur, vt scias eam non gerere rem armis sed blanditijs & illecebris, quæ sane in Romam Ethnicam non quadrant

In libro aduersus Regis præfactionem Monitoriam. Viegas in 17. Apo. Com. 1. Sect. 3. Ribera in Apoc. c. 14. num. 42.

quadrant

quadrant, in hodiernam vero quadrant plenissimè. His adde quod eadem mulier dicitur sedere super multis aquis, id est, dominari multis populis, vers. 1. & 15. Deus bone quam ἀξίως Spiritus Sanctus imperium Romanum Papale vocat SESSIONEM: hoc enim vni Papæ peculiare est vt SEDERE dicatur, non regere: cum tamen nemo magis regnet. Quid quod eadem mulier vers. 2. dicitur illicere Reges & inebriare populos: In quantas enim fraudes Reges pellexerit, vel vna Gallia testis est locuples: Quod sane de Roma Ethnica dici non potuit, quippe quæ non circunueniebat astu Reges, sed armis euertebat regna, & reges extinguebat. Addit Iohannes vers. 3. & 4. *vestem purpuream*. hic enim color est vestis Papalis non tantum consuetudiue, sed & lege, vt statuitur lib. 3. Cæremoniarum sacrarum sectione 3. cap. 5. *Ruber color præcipue ad Papam pertinet.* Exempla habes lib. 1. Sectione 1. cap. 6. & sectione 9. cap 1. Nec minus disertum quod bestiæ cui insidet mulier, id est sedi, seu Imperio Papali, inscripta sunt nomina Blasphemiæ, vt quod vocatur SEDES DEI, vt lib. 2. Sacrarũ Cæremoniarũ Sect. 7. c. 6. *Sedes Dei id est sedes Apostolica.* & ipse Papa DEVS Can. satis Distinc. 96. & glossa extrauagantis. *Cũ inter* & *Maiestas diuina*, Cõcilio Lateranẽsi vltimo sess. 9. & *caput totius Ecclesiæ, ac Episcopus Vniuersalis, & spõsus Ecclesiæ: Caput fidei, lapis ãgularis Leo Iuda*, & infinita eiusmodi quib. Cõcilia & Decreta Paparũ referta sunt. Quod in manu eius ponitur, *Poculum Aureum Plenum Abominationum*, quarum vocum litteræ capitales *Papam* efficiunt debeatne aliquas vires habere alij Iudicent.
 Mihi

Mihi ſane videtur in iſto caſu eſſe quædam induſtria, maximè cum id ita cadat in lingua Romana quæ diu fuit vernacula Epiſcopatui Romano.

Sed illud mihi maximi momenti eſſe videtur, quod cũ Roma habuerit ſeptẽ genera ſũmi Principatus, Reges, Conſules, Tribunos militares, Decemuiros, Dictatores, Imperatores, Papas, qui varijs temporibus ſummæ Rei præfuerant hac de re Apocalypſis eodem capite ſic loquitur verſ. 9. & 10. *Septem capita ſunt ſeptem montes, quibus inſidet mulier: Tũ ſeptem Reges* (Sic vocat ſummos Principatus) *quorum quinq; iam tranſiuerunt, & vnus nunc ſtat, & alius nondum venit.* Cum enim Iohanni hæc revelarentur, quinque priores principatus pridem deſierant. Sextus vero nempe Imperatores, tunc ſtabat, eratque in roboris ἀκμῇ. Septimus vero (nimirum Papæ obtinentes Monarchiam temporalem) nondum aduenerat.

Et hæc quidem non ſunt noſtra, ſed sereniſſimi Regis, qui primus felici audacia reſignauit librum ſignatum ſeptem ſigillis, & his tenebris maiorem quam quiſquam lucem intulit. Quem Bellarminus, Cuffetellus, Gretzerus, Coquæus, dum conantur refellere, tam infeliciter rem gerunt, ita ſe inuoluunt, vt videantur noluiſſe intelligi, immo nec credi. Si quis tamen vult habere quo ratiunculas eorum diluat, legat accuratiſſimam Reſponſionem Doctiſſimi Præſulis Elienſis, quæ ſanos omnes a ſcribendo eadem de re deterruit.

His duobus Apoſtolis plane conſona pridem vaticinatus eſt Daniel hæc ipſa maiori quadam tuba perſonans. Nam cap. 7. depingit quatuor maxima

maxima Imperia, Babylonicum, Persicum, Macedonicum, Romanum, sub imagine quatuor bestiarum emergentium mari, id est e medio populorum, iuxta stilum scripturæ. Quarta bellua cæteris sæuior & truculentior, erat decem cornibus insignis, vers. 7. totidem enim præcipuis prouincijs constabat Imperium Romanum. Inter quæ cornua *emergit cornu paruulum* Romanus Pōtifex, tenuis conditionis inter initia *cui dantur oculi*, id est perspicax astutia, *& os loquens grandia*, id est doctrinæ ipsi plurimum tribuens & superbi tituli. *Hoc cornu auctum tria cornua de bellua auellit*. Papa enim subiecit suo imperio tantam portionem de Imperio Romano veteri, quanta est trium ad decem, quod qui oculis aut circino voluerit metiri, comperiet verissimum esse quod dicimus.

Mirabitur ergo lector maximum prophetiarum consensum, non modo inter se, sed &, quod caput est, cum euentu & agnoscet Papam rem fecisse Imperij dispendio, & iuxta Prophetias Papale Imperium inter ruinas Imperij Romani emersisse.

Sunt qui vt hæc eleuasit, & tantæ luci tenebras offundant, pertendant Imperium Romanum nondum concidisse, quippe quod etiamnum stat in Germania: cuius Imperator adhuc nomen & dignitatem obtinet Imperatoris Romani. Sunt ex aduerso qui censent non inhærendum nominibus & titulis, sed rem ipsam excutiendam. Imperium Romanum de quo Paulus agit 2. ad Tessal. cap. 2 prorsus esse deletum: Imperatores vero Germaniæ non successisse Iulio Cæsari, nec Constanti-

no; ſed a Carolo Magno Galliæ Rege deſcendiſſe. Imperatorem hodie nihil poſſidere Romæ, nec in Italia. Immo Monarchiam illam quæ hodie vocatur Imperium pene totam ſitam eſſe extra fines veteris Imperij Romani. Non eſſe conſentaneum vt dicatur Imperator Romanus eodem ſenſu quo veteres, qui non modo Romanos non habet ſub ſua ditione, ſed & qui homini Romæ regnāti lambit veſtigia, & defert adorationē, tenéturque Romam mittere Legatos qui Papæ Cæſaris nomine præſtet ſacramentum fidelitatis & obſequij. Hæc eſt inter cæteros ſententia Lipſij in præfatione libri *de Magnitudine Romana*, vbi aſſerit Imperium Romanum eſſe penes Papam & Romæ adhuc eſſe ſedem Imperij, & *hanc ipſam Romam &c. SACRVM IN EA IMPERIVM fuiſſe & eſſe velut anchoram fluctuanti diu Europæ.* Ibi eſſe ſenatum purpureum, Eo inferri tributa, Eo mitti legationes gentium ex noto ignotoque orbe. Ipſos Reges & Principes adire & inclinari; & *obnoxia capita huic vni capiti ſubmittere.* Ac profecto quotieſcunq; Papa Cæſaream Maieſtatem vocat Imperatorem Romanum, non tam eum honorat titulo, quam amarulēto ſcommate ei illudit, ſi quidem Papa ipſe Cæſarem Roma & Italico Imperio depulit.

Hæc quidem varie a varijs agitantur. Nobis non neceſſe eſt nodum hunc ſoluere aut incidere: Nec in ſacræ Cæſareæ Maieſtatis quam ipſi veneramur, titulos ſcrupuloſius inquirere fas aut honeſtum puto. Satis mihi ad rem præſentem, ponere quod apud omnes eſt in confeſſo, id quod hodie

hodie Imperium Romanum dicitur perexiguum esse præ stupenda illa potentia veteris Imperij Romani. Vndé non abs re dici potest Imperium Romanum corruisse. Non secus ac si quis Regem nostrum, quod absit, regni maxima parte exutum in Aremoricæ, aut Delphinatus angulum concluderet, non mentiretur qui diceret regnum Galliæ euersum, vtcunque Rex eius portiunculam retineret.

Adde quod Bellarminus & cæteri qui Antichristum Iudæum, & Ierosolymis regnaturum ῥεμβολογοῦσι, parum considerate addunt, Imperium Romanum stans, morari aduentum Antichristi. Nam quomodo posset Imperator Germaniæ morari initia regni Ierosolymitani? Maxime cum Paulus 2. Thessal. cap. 2. dicat suo tempore iam fuisse cœpta primordia mysterij iniquitatis? Inepta esset præparatio cuius post annos 1550. nulla incrementa, nec minimus possibilitatis color videretur.

CAP.

CAP. XXV.

Imperium Papale extructum esse ad Imitationem veteris Imperij Romani.



Ocuimus abundè, ni fallor, Imperium Papale de Imperij Romani ruderibus extructum, super eius ruinis sua fundamenta posuisse. Hoc quisquis agnouerit, non mirabitur si qui potestatem Imperatorum ad se trahere conatus est, eorum quoque imitatus est actiones, titulos, apparatum, formamque Imperij, Omnino hoc decuit eum qui Romæ regnans, veteris Romani imperij splendorem æmulatur: in quo Impletum est vaticinum illud quod protulimus ex Apocalypseos cap. 13. ver. 11. 12. & 14. vbi predicitur secundam bestiam Christi nomen & speciem præ se ferentem, arrepturam potestatem prioris bestiæ, id est veteris Imperij Romani, & daturam operam vt Imago priori illi bestiæ statuatur, id est erigatur imperium factum ad imaginem veteris Imperij Romani.

Fidem dictis astruunt innumera experimenta quorum quædam præcipua edecumabo.

1. Papa relicto pedo pastorali, sumpsit coronam Imperialem auro & gemmis fulgentem, quam REGNVM vocant, eamque triplicatam.

Eutropius lib. 9. 2. Cumque purpurea vestis & calcei purpurei essent

essent imperij insigne, eandem vestem Pontifex induit, eosdemque calceos, sed addita cruce aurea quæ osculantibus porrigatur. Neque id sane sine mysterio, vt per hoc crux Christi, id est religio Christiana ad pedes Pontificis abiecta intelligeretur.

Carausius purpuram sumpsit. & paulo post. Galerius purpuratus trahitur ad vehiculum decucurrit. Ambros. ad Theodosium ἀλουργὶς βασιλέας οὐκ ἱερέας ποιεῖ. Theod. lib. 5. cap. 18.

3. Habuerunt Imperatores Senatum Patrum purpuratorum. Hoc imitatus Papa, habet senatum purpuratum: Nam Cardinales vocantur Senatores vrbis Romæ a Papa Pio II. lib. 1. Cæremoniarum Sacrarum. Sect. 8. cap. 6. Eosque sic appellare tralatitium est.

4. Penes Senatum Romanum erant Apotheseos, per quas referebantur defuncti in numerum Deorum. Eodem plane modo senatus Cardinalium ius habet Apotheseos sanctorum, quam vernacula superstitio Canonisationem indigetat.

5. Imperatoribus familiare erat Deos appellari. Suetonius Domitiano cap. 13. *Dominus Deus noster sic fieri iubet.* Martialis lib. 15. Epigrammatων, *Edictum Domini Deique nostri.* Virgil. 1. Ecloga. *O Meliboe e Deus &c.* Ideoque & eterni dicti, Symmachus epist. 54. lib. 10. Sic affatur Valentinianum, Theodosium, & Arcadium *Multa victoriæ debet æternitas vestra & adhuc plura debebit.* & sic frequenter in Panegyricis. Non minoribus titulis Papa intumescit, nam & vocatur *Dominus Deus noster.* Glossa Extrauag. cum inter. & Deus Canone satis. Distinct 96. & sedes eius, SEDES DEI. lib. 1. Sacr. Carem. sect. 7. cap. 6. *Sponsus Ecclesiæ.* c. quoniam de Immunit. Eccles. in 6. & sæpe alibi. Addit Bellarminus *etiam Christo secluso* lib. 1. de

§ Ac ne forte. Ac profecto si Ecclesia quæ est in terris Christo secluso non Inepte comparatur sponsæ; Secluso etiam Christo vnum caput habere debet.

1.de Rom.Pontif.cap.9. *Diuina Maiestas*, Concilio Lateranensi, sub Leone X. Sessione 9. *Leo Iuda & seruator Sionis.* sess. VI. *Lapis positus in fundamentum Sionis.* Bellarm.in præfatione librorum de Romano Pontifice. Vnde & Decreta eius passim vocantur oracula, id est vox Dei loquentis. De elect.Tit.6, Cap.Fundamenta in 6.

6 Imperatores Ethnici passi sunt se adorari: Aurelius victor dé Diocletiano, *passus est adorari se appellariq; vti Deum.* Idemque ait Lampridius de Heligabalo in vita Alexandri seueri. Secutus exemplum Pontifex, patitur sibi adorationem decerni & tribui. Concilium Lateranense vltimum. Sess.3. & sess. 10. de Papa sic loquitur. *Est Vniuersis populis adorandus & Deo simillimus.* Ac ne quis putet agi de adoratione ciuili, ibidem Papa accōmodatur prophetia Psalmi 72. *Adorabūt eum omnes Reges terræ*, quæ dici de Christo Tertullianus in Marcionē.lib.5.c. 7. asserit, & omnes fatentur.

Mantuanus

Ense potens gemino cuius vestigia ADORANT
Cæsar & aurato vestiti murice Reges.

Sigonius de regno Italiæ lib.9. *Populum diuisa per vicos pecunia ad adorādum inuitant.* Insignis præ cæteris adoratio quæ defertur Papæ in ipso Conclaui, statim post electionem. Exuitur, Induitur, ei dantur caligæ rubræ, & calcei cōcolores cingulum rubrum cum fibulis aureis, pileus ruber, pluuiale rubrum, triplex corona, ita ornatus, sublimis attollitur, super altari ipso locatur, a Cardinalibus summisso genu adoratur. Vt prolixé refertur lib. 1.Cæremon.sacr.sect. 1.cap.6.

7. Im-

7 Imperatores habuerunt corpus ſuarum legum quod vocatur ius ciuile. Quos æmulatus Papa habet corpus ſuarum legum, quod vocatur ius canonicum.

8 Indictiones Imperiales inſtituit Conſtantinus, quæ ſunt periodus quindecim annorum. Voluit ergo Papa habere quoq; ſuas indictiones totidem annorũ, quarũ caput voluit eſſe circa æquinoctium vernum, vt diſcernerentur ab Imperialibus, quarum caput eſt circa æquinoctium autumnale. Gregorij Epiſtolæ diſtinctæ ſunt per Indictiones, quarum caput adhuc erat menſe ſeptembri, vt teſtatur inſcriptio librorum. Nondum enim Indictiones Papales erant in vſu, quamuis Annus Chriſti 600. inſtaret.

9. Imperatores Romani, Regum, clientum Imperij, & Rerũ publicarum Legationes, & obſequia ſubmiſſa recipiebant, in ſolio ſublimes. Eodem quoque modo ad nouum Papam omnibus ex partibus, mittuntur legati qui Regum & Principum nomine præſtent ſacramentum fidelitatis, & iurent obſequium Pontificj, venerabundi, & figentes ſacroſanctis pedibus oſcula.

Suetonius Calig. c. 22. Cum audiret forte Reges qui officij cauſa in vrbẽ aduenerãt. &c.

10. Annatæ Papales, ſunt imitatio fructuũ feudalium qui Legibus Imperialibus conſtituuntur. Epiſcopatus enim & Abbatiæ ac Prioratus ſunt totidem feuda ſedis Romanæ, quantumuis nata ſint de laicorum liberalitate, quibus potius tales fructus debebantur.

11. Iam vero tributa ſub vtroq; Imperio mutatis nominibus eadem. Variis tributis & vectigalibus Romani prouincias onerabant. Ex agris com-

compaſcuis legebant tributum,quod ſcripturam appellabant, Ex Importatione & exportatione mercium portorium: Ex agro ſubacto decumas. Ex ſingulis capitibus capitationem. Hæc imitatus Papa habuit in Anglia, Polonia, &c. capitationem quam vocabant denarium Petri: & nunc in Hiſpania ſub titulo bullarum abſolutionis, inſtitutum eſt veſtigal duarum regalium in capita. Longum eſſet perſequi varia mercimoniorum genera,paruas datas,diſpenſationes,abſolutiones, derogationes, cauſas matrimoniales, gratias expectatiuas, &c. ex quibus qui naſcuntur fructus ſunt totidem Papalis imperij veſtigalia.

12. Atque vt ad tributa legenda Imperatores habuerunt ſuos publicanos, qui redempta habebant publica veſtigalia, ſic & Papa habet, Datarios, Bulliſtas, & eiuſmodi redemptores fructuũ qui ad Papam perueniunt ex taxationibus Cancellariæ,& ſacræ penitentiariæ.Proſtat ea de re liber ab ipſis Pontificijs excuſus, Titulo,*Taxe Cancellariæ Apoſtolicæ, & ſacræ Penitentiariæ.*

13. Erant Romæ Trapeſitæ & collibiſtæ ſedentes ab imo Iano ad ſummum per quos poterat quilibet quantamlibet pecuniæ ſummam in quancunqne voluiſſet regionem tranſcribere. Non abſimili modo ſunt Venetijs, Lugdunl &c. collybiſtæ & trapeſitæ qui quaſcunque voles bullas,et diſpenſationes,ac abſolutiones certo pretio tibi in quaſcunque voles oras tranſcribunt, & per litteras collybi, aut vt vocant cambij, remiſſionem peccatorum tranſmittunt.

14. Imperatores Romani ſubactis Gallijs,& Hiſpa-

Hiſpanijs, quo gentes indociles aſſuefacerent iugo, & Latinis moribus imbuerent, cogebant prouinciales latine loqui, & cauſas latine orare, vnde factum eſt vt Latina lingua olim apud nos & in Hiſpania, pene eſſet vernacula. Has artes imitatus Papa, non quidem vi, ſed occultis artibus effecit apud Reges & Principes ſibi obnoxios, vt res diuina vbiq; fieret ſermone Romano. Sic fixa ſunt paſſim inſignia Romanæ dominationis, & impreſſa eſt animis erga Romanum Pontificem reuerentia: Credentibus populis ſe inde habere fidem vnde & linguam, & ab eo diſcendum eſſe Dei cultum, a quo acceperunt ſermonem per quem cùm Deo loquuntur.

15. Imperatores Romani, quo gentem ſubactam, ſed ferociorem & Impatientem ſeruitutis cicurarent, ſolebant diſtinere vulgi oculos theatris, circo, balneis, quæ quidem cum quaſi ad luſum & ad ornatum ac voluptatem fierent, erant tamen ſeruitutis authoramenta. Tacitus in Iulio Agricola de Britannis. *Paulatim (inquit) diſceſſum eſt ad delinimenta vitiorum; porticus & balnea & conuiuiorum elegantiam, Id apud Imperitos humanitas habebatur, cum pars ſeruitutis eſſet.* Par Papæ induſtria; dum enim paſcit populum picturis, ſtatuis, aulæis, pompis, cereis, quibus meridiona lux infringitur, interea ſacram ſcripturam de manibus populi ſubtraxit, & Imperium in conſcientias ſtabiliuit, immutata ſenſim doctrinâ Euangelij. Sic dum ſopiuntur corda, oculis illuditur, & vano fulgore præſtinguntur oculi dum animis atra caligo offunditur.

16 Ve-

16. Veſtigal ex meretricibus quæ Romæ proſtant permittente Pontifice, imitatio eſt veteris illius turpitudinis ab Imperatoribus Romanis vſurpatæ. Suetonius, Caligulâ. *Ex capturis, proſtibularum vectigal inſtituit, quantum quæque vno concubitu mereret* Lampridius Alexandro. *Leonum vectigal & meretricum, & exoletorum in ſacrum ærarium vetuit inferri, & ad inſtaurationem theatri, Amphitheatri & circi deputari.* Iuſtinus. Martyr Apologia 2. θηλειῶν καὶ ἀνδρογύνων καὶ ἀρρητοποιῶν πλῆθος κατὰ πᾶν ἔθνος ἐπὶ τούτου τοῦ ἄγους ἕστηκε, καὶ τούτων μισθοὺς καὶ εἰσφορὰς καὶ τέλη λαμβάνετε.

Feminarū & androgynorum & obſcœnorū multitudo per omnes nationes ad hoc piaculū proſtant: atq; horum vos mercedes, & collationes & veſtigalia capitis.

17 Solebat Imperator nouus, ſpargere in populum nummos, teſſaras frumentarias, & varia miſſilia Suetonius Octauio cap. 39. & Nerone. cap. 11. Hanc munificentiam imitatus Papa die coronationis ſpargit in plebem Romanam aliquot millia annorum indulgentiæ, fortuita liberalitate & promiſcua. Dabat ſine dubio Petrus hoc modo remiſſionem peccatorum.

18 Indulgentiam leges Romanæ ſolenni vocabulo appellant, remiſſionē pœnæ legibus conſtitutæ, quæ interdum ad publicam lætitiam ab Imperatoribus concedebatur. Cod. Theod. l. 9. tit. 38. l. 3. non ſecus ac primo aduentu Regum noſtrorum in aliquam vrbem, laxantur ſontium vincula, & carceres debitoribus aperiuntur. Vocem hanc indulgentiæ, in alium vſum flexam Papa vſurpauit, concedens indulgentias pœnæ quam Deus poſt remiſſam culpam exigit: quas indulgentias etiam vltra vitam extendit homo erga mortuos miſericors, & pœnas ab animabus comme-

meritas remittens vſque ad ſexcenta & amplius annorum millia.

19 Porrectionis pedis ad oſculum, primum exemplum dedit Caius Caligula Imperator, hoſtis generis humani. De eo ſic loquitur Seneca. lib. 2. de Beneficijs cap. 12. *Cæſar dedit vitam Pompeio Penno, ſi dat qui non aufert, deinde abſoluto & agenti gratias porrexit oſculandum ſiniſtrum pedem*: Et paulo poſt. *Inuenit aliquid infra genua quo libertatem detruderet, nonne hoc eſt ciuitatem calcare?* Nempe ſupplicum geſtus erat attingere genua. Plin. lib. 11. cap. 45. *Hominis genibus quædam & religio ineſt, obſeruatione gentium. Hæc ſupplices attingunt, ad hæc manus tendunt.* Exempla habes frequentia apud Homerum. At Caligula infra genua libertatem depreſſit, dum pedem oſculandum porrigit. Secutus eſt hoc exemplum Maximini filius: nam hunc honorem auerſatus eſt Maximinus pater. *Dij (inquit) prohibeant vt quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat.* Teſte Iulio Capitolino in vita Maximini Iunioris. Homo alioqui ferox qui non tulit pedibus ſuis dari oſcula a minimo ingenuorum, quomodo id tuliſſet fieri a regibus? Id ſane neque ipſum Caligulam paſſurum fuiſſe exiſtimo. Pontifex ergo dum præbet pedes ſuos oſculandos ipſi Imperatori, & regibus, ſic imitatus eſt peſſimos Imperatores, vt eos longe ſuperauerit.

Lib. Sacra. Cerem. 1. Sec. 5. c. 3. Cæſar iterū cum appropinquat ad gradus ſedis, genu flectit, demū ad Pōtificis pedes peruenit, illos in reuerentiā ſaluatoris deuoté oſculatur. & paulo poſt. Pontifex recipit imperatricem ad oſculum pedis.

20. Imperatores Romani Regibus qui rem Romanam manu, vel conſilio, vel ope iuuiſſent, mittebant ſcipionem eburnum & togam pictam, ſocietatis & amicitiæ pignora. Taci-

tus Annalium lib. 4, *Cognitis Ptolomai per id bellum studijs, repetitus ex vetusto mos, missique e Senatoribus qui Scipionem eburnum, togam pictam antiqua patrum munera daret.* Hunc morem secutus Papa, mittit Regibus & Principibus de Romana sede benemeritis, rosam, vexillum, chirothecas, galeam, benedicta.

21 Imperatores Romani ab Episcopo recens inaugurato, accipiebant viginti libras auri, pignus obsequij, eademq; lege Episcopus Romanus cum cæteris Archiepiscopis & patriarchis tenebatur, idque pro enthronisticis, seu litteris inuestituræ, vt diserte habetur Nouella. 123. cap. 3. At Papa rerum compos, hoc imitatus, vice versa iussit Imperatores pro coronatione massam auri deponere ad pedes Pontificis, pignus obsequij, & professionem clientelæ. Verba sunt libri. 1. Sacrarum Cærem. Sect. 5. cap. 3. *Tum Cæsar iterum genuflexus auri massam ad pedes pontificis offert, habetque verba ad Pontificem, gratias agens pro honore suscepto.* At Iohannes Rex Angliæ cum Pandulpho Papæ Innocentij legato præstaret homagiū regni Angliæ & aurum ad pedes eius deponeret, legatus pecuniam pede conculcauit. Satis quidem pro Imperio, & vt decuit seruum serui seruorum.

Iubemus beatissimos Archiepiscopos & Patriarchas, hoc est senioris Romæ & Constantinopoleos siquidē cōsuetudo habet episcopis in eorū ordinatione nō minus quā viginti libras aur. dari, &c.

CAP.

Cap. XXVI.

Quanto artificio poteſtas ſpiritualis, & ipſi fidei Chriſtianæ articuli, flexi ſint ad incrementum poteſtatis temporalis.



IDem Apoſtolus qui in priori ad Timotheum cap. 3. vocat Euangelium *myſterium pietatis*; ſecunda ad Theſſalonicenſes cap. 2. appellat *myſterium iniquitatis* doctrinam improbam occulto artificio contextam. Iſtæ ſunt nimirum profunditates Satanæ, de quibus Iohannes ſecundo Apocalypſeos. Ad cuius Sphingis peplum reuelandum non ſufficeret humana induſtria, niſi noſtra ipſorum mala nos feciſſent hac in parte doctiores, & infelici experientia didiciſſemus quæ optabilius fuerat ignorare. Enimuero tanto artifitio contextus eſt Papiſmus, & tanto aſtu doctrina Chriſtiana & ipſi fidei articuli flexi ſunt ad fulciendam dominationem papalem; vt quicquid vnquam poſt homines natos fuit aſtutiæ præ hac ſit merus ſtupor. Harum technarum ſunt quatuor genera. 1. Aliæ enim ſunt comparatæ ad offundendas tenebras & creandam ignorantiam, animoſque populi diſtinendos. 2. Aliæ ad congerendas diuitias. 3. Aliæ ad augendam dignitatem Papæ & Clericorum. 4. Aliæ denique ad conſeruationem rerum partarum, ne quid de aceruo minuatur.

Res palam fiat aliquot exemplis, nam singula persequi esset infinitum.

Quibus artibus alatur ignorantia populi, & Imperitorum animi distineantur.

1. Ignoratio sacræ Scripturæ fons est omnium errorum, testante ipso Christo, Matth. 22. comm. 29. *Erratis, nescientes Scripturas.* Cum ergo Papalis Monarchia stet corruptione sacræ Scripturæ, danda fuit opera ne populus hanc scripturam attingeret, neue sermone vernaculo verteretur. Inde est quod Romæ & in Hispania & Scicilia capitale est habere biblia sermone vulgari, dum scripta profana & impudica passim & impune leguntur. Solum Dei verbum cum periculo aspicitur. Prouidendum enim fuit ne populus de sua salute nimis sollicitus humana figmenta exigeret ad regulam verbi diuini. Cupit leges suppressas qui sibi male est conscius. Tum ignorantia populi fructuosa est Papæ. Nam cæci solent esse scrupulose timidi, faciliusque eis illuditur, suntque sequaces quancunque in partem impuleris. Eruerunt Philistei oculos Samsoni priusquam eum deducerent ad templum Idoli. Nam oculatos difficilius est in Idololatriam inducere.

2. In eundem finem liturgia celebratur linguâ ignotâ: quin & latinus textus missæ, presso murmure, accentu absono, & voce in canticum flexa pronunciatur, vt nequidem ij ipsi qui Latine sciunt, possint capere quid dicatur.

3. Sed & populus assuefit preces concipere sermone ignoto, & metuit ipse se intelligere, quasi sibi ipse suspectus. Ergo plurimum meriti putatur

esse

esse in stupore, quinimo genus quoddam est monachorum qui fratres Ignorantes appellantur: vt iam argumentũ sit sanctitatis nihil scire, & ignorantia se inferens sub titulo docilitatis fidei Christianæ locum teneat, fatēte ipso Bellarmino, viro doctissimo, qui c. 7. lib. 1. de Iustificatione sic loquitur. *Fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam quam per notitiam definitur.*

4 Non satis fuit premere Scripturam, & cælestem hanc lucernam occultare sub modio, id quoque additum vt conuitijs vulgo laceraretur. Nam quia a nobis extracta est de tenebris in lucem, in eo nunc Doctores Pontificij sunt toti, vt ei fidem abrogent. Ingerunt ergo opprobria. Vocant regulam Lesbiam, cultrum Delphicum, obscuram, imperfectam, iudicem non idoneum, & non loquentem, & quid non? Bellarmini hæc sunt cap. 10. lib. 4. de Verbo Dei Scripto. *Scripturas non fuisse absolute necessarias.* & cap. 7. *Quasdam esse traditiones maiores quoad obligationem quam quasdam Scripturas.* & *cap.* 12. dicit *finem proprium & præcipuum Scripturæ non fuisse vt esset regula fidei, sed vt esset commonitorium quoddam vtile.* & paulo post *Etsi non est facta præcipue vt sit regula fidei, est tamen regula non totalis, sed partialis.* Quid quod Carpentarius noster in TERTIA *veritate*, contendit scripturam serere magis lites quam componere? ancipitē esse gladiũ? Inde homines fieri Atheos? Nihil habere viriũ, nisi quatenus placet Ecclesiæ? Fidem haustam ex lectione Scripturæ, non esse Christianam, sed quæsitā, & humanā, & ita credētē non esse Christianũ? Horret animus meminisse. *§. Adde.*

ſe. Peculiaris eſt huic ſeculo hæc labes. Nil tale hæretici veteres, quanquã Lucifugæ Scripturarũ.

5 Pari fraude & audacia ius ſummum iudicandi de Controuerſijs ademptum ſcripturæ, in Eccleſiam Romanam tranſlatum eſt. Per Eccleſiam autem Papa & aliquot Prælati eum circumſtantes intelliguntur. Ergo libris fidei adempta eſt fides, & diuinorum authorum concidit authoritas. Nec videtur vlla via relicta ad cognoſcendam veritatem, cum ipſa veritatis regula cœperit eſſe ſuſpecta. Eodemque aſtu Eccleſia Romana facta eſt exlex ex quo cœpit eſſe iudex ſupra legem, Imo iudex ipſius Legis, & dans authoritatem verbo Dei quod ſcripturis continetur. Sic dum ſubijcit ſibi regulam, ipſa facta eſt regula, Imo & iudex in illis ipſis cauſis quibus tyrannidis poſtulatur. Sic Scriptura facta eſt non neceſſaria, cum preſto ſit regula ſuperior, & certior, nempe Iudicium Papæ & Eccleſiæ Romanæ.

6 In eundem finem illigantur animi plebis ſcrupuloſo metu & ſtupore religioſo, dum exigunt a populo fidem ante cognitionem, nec perſuadent docendo, ſed volunt ſibi credi antequam doceant. Nam volunt eligi religionem antequam cognoſcatur an ſit vera. At ſcriptura vult cognoſci primo, deinde credi. Sic Chriſtus Iohan. 10. com. 4. *Oues ſequuntur paſtorem, quia cognoſcunt eius vocem*; prius ergo cognoſcunt quam ſequantur & com. 38. *vt cognoſcatis & credatis Patrem eſſe in me* &c. Et cap. 17. com. 8. *Cognouerunt me a te profectum eſſe & crediderunt te me miſiſſe*. Nempe cognitionem fides eſt conſecuta. *Fides ex Auditu*

ditu verba ait Paulus Rom. 10. At hi fidē sibi haberi volunt antequā verbū Dei audiatur. Sane qui credit nō cognoscēs, nō cognoscit an recte credat: quod si forte vera credat, id facit casu, non iudicio; falsa crediturus, si fuissent prius oblata. Nec quidquā est tam præposterū & abhorrēs à sensu communi, quam eligere antequam cognoscas, cùm ideo sit cognoscendum, vt eligas. Præcipue in re tanti momenti, in qua agitur de æterna salute.

7 Eodem spectat professio dubitationis de salute, & exitialis illa doctrina quæ diffidentiam suadet, cum Dei verbum imperet fiduciā. Magnum hoc est Papalis Monarchiæ firmamentum. Nam subditis attonitis & trementibus vtaris obsequentioribus quam si essent pleni fiducia. Terror enim officit Iudicio, nec valde commouetur iactura suæ pecuniæ, quem interni horror instans & conscientiæ perpetua trepidatio excruciat.

8 Ad Ignorantiam quoq, plurimum confert vocum sacræ Scripturæ ab vno sensu in alium traductio, ne stilus spiritus sancti intelligatur. Sic cum in Scriptura Pœnitentia sit Virtus, & morum emendatio, hodie ictus, ieiunia, peregrinationes, multæque pecuniariæ, pœnitentiæ appellantur, & cùm ferre crucem in Euangelio sit ærumnas ferre pro Euangelio, hodie dicitur ferre crucem qui argenteam vel ligneam crucem baiulat, aut habet in pileo signum crucis, vel crucem de collo dependulam. Sic duæ primæ voces orationis Dominicæ, non patrem nostrum cælestem, sed insertos filo globulos significant: & cum Paulus Philip. 2. doceat deberi reuerentiam nomini Iesus,

id est eius virtuti & dignitati, hodie salutantur syllabæ nominis, & ad prolationem vocis Iesus nudantur capita, at non ad prolationem nominis Christi, Immo nec Dei. & cùm ieiunium sit sobrietas, hodie est distinctio ciborum. Sic fides Christiani desijt esse fiducia amoris Dei erga nos per Christum: fides enim a Pontificijs definitur assensus ijs quæ verbo Dei continentur, quam fidem in ipsis diabolis inuenias; & iustificatio quam Christus & Paulus centies accipiunt pro absolutione, hodie pro charitate & virtutibus moralibus vsurpatur. Christus dixit se esse lucem mundi ergo accendantur cerej de die. Idem nos iussit similes esse infantulis, ergo monachi induant cucullam, puerilis redimiculi imitamentum. Infinita sunt eiusmodi, per quæ sacræ scripturæ voces peruersum sensum induunt, ne quid a legentibus intelligatur.

9 Nunc accipe solatia ignorantiæ, & delinimenta stuporis. Principio dum subtrahitur scriptura, substituuntur imagines: & distinentur oculi spectaculis dum mens destituitur cognitione, & pro libris doctorum, proponuntur libri ignarorum, sed qui non medeantur ignorantiæ. Sic dum lapides fiunt doctores, ipsi discipuli facti sunt pene lapides, & in religionis negotio sensus expertes, Deus quidem ex lapidibus facit, filios Abrahæ, at hi ex filijs Abrahæ, lapides.

10 At nulla in re tantum se prodidit ingeniosa horum hominum solertia, quam variegando religio-

ligionem mille coloribus: vt nemo ſit tam enormibus moribus qui non inueniat in Papiſmo quod ſuo guſtui reſpondeat. Amat quis pompam? quid ſplendidius Cardinalibus & Prælatis? At ſi cui cordi ſunt ſordes, habet Caputtianorum & Folianorum illuuiem, & ex affectatis ſordibus quæſitam ſanctitatem. Si quem iuuant deliciæ & opes, ſunt Abbatiæ, Prioratus, & Canonicatus, quibus ſuppetit in ſummo otio ſumma abundantia. At ſi cui melior videtur vita mendicabuli, habet ordines Mendicantium quos ſequatur. Odit quis ſocietatem humanam? et Heremitis ſuis eſt honor: aut ſi potior ei videtur vita in turba, aggreget ſe cœnobijs monachorum. Quod ſi quem petulantes Luſus delectant & laſciua licentia, habet dies pluſculos ante Carnispriuium, qui ſolenni licentia & legitima laſciuia peraguntur: Quos viciſſim excipit dies cinerum, in quo triſte ſilentium, tetricus vultus, cinis frontibus inſperſus, facieſque ad ſobriam grauitatem compoſita. Romæ habes conuentus reclusarum, nec inde procul conceſſa lupanaria puellarum, quæ bona fide faciunt meretriciam. Hinc largas eleemoſynas Xenodochij ſancti ſpiritus, inde cauponationem beneficiorum, munerum Eccleſiaſticorum, & indulgentiarum.

11 Hæc quidem varié a varijs aguntur: At in vna eademque perſona videas cum admiratione res cõtrarias, & ſecum diſſidentes. Idem enim Papa qui pedem porrigit oſculandum Imperatoribus, lauat pedes pauperibus die Cenæ Domini. Et ijs ipſis bullis quibus regna dat & adimit, ſe vocat

vocat seruum seruorum, insigni exemplo modestiæ, sed non vidit, hoc quoque esse inter imprecationes quibus Noe nepotem suum Canaam execratus est, fore vt seruus seruorum appellaretur, Gen. 9. com. 25.

12 Extendit sese vsque ad puerulos fallacia, qui in festis Nicolai & Catharinæ ornantur crepundijs, mulcentur munusculis, recreantur imagunculis, vestiuntur solito cultius, & per vrbem circunducuntur puerili ambitu: Mox vt occipiunt paululum grandescere sistuntur coram Episcopo qui eos chrismate vngit, strophio frontem præcingit, bracteolas aureas superaddit, colapho malam leuiter perstringit, vt in fide roborentur. Ita quasi per ludum Deus colitur. & dum sacra scriptura ab eorum oculis amouetur, lepidis artibus in teneros animos superstitio instillatur. Enimuero nemo est in populo tam plumbeo ingenio, qui non accurate designet festū suæ parœciæ, aut quatuor tempora, aut leges ieiunij, & quo ritu confirmatio & extrema vnctio conferatur, & eiusmodi minutula quæ tota gestibus constant, & externo ritu. At quotusquisque est de populo qui accurate nouerit quid sit iustificatio per fidem? quod discrimen veteris Testamenti a nouo? Quantus sit concentus prophetiarum cum Euangelio? Quæ necessitas fuerit habendi mediatorem Deum & hominem? Hæc sane absconduntur a populo dum picturis & splendore externo detinetur.

II. Quæ artes inseruiant congerendis opibus.

Euerterat Christus mensas collybistarum, & de

de templo mercaturam expulerat. Hanc Papa rursus introduxit in Domum Dei, in ipso sacrario faciens institoriam.

I Toti huic mercaturæ quæsitus est color ex corruptione Euangelij: Conficto nouo dogmate quo nihil habet Papismus perniciosius. Dogma tale est: *Christum sua passione non plane satisfecisse pro pœnis peccatorum quæ committuntur post Baptismum. Sed nobis incumbere hanc satisfactionem, quæ quidem peragenda sit pœnis satisfactorijs dum viuimus, & post mortem igne Purgatorio*: Quem quidem ignem perhibent septies esse calidiorem igne vulgari, & ibi luendam esse pœnam vnius peccati per plures annos. Iuxta illud Virgilij 6. Æneidos:

Alijs sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, atq; exuritur igni.

Ibi enim loquitur de purgatione animarum apud inferos. Veruntamen Papalis Indulgentia quibusdam huius cruciatus facit gratiam, aut eius portionem amputat. Sic Carmelitæ iactant se prærogatiua a Pontifice concessa, ne sint in Purgatorio vltra diem sabbati qui mortem eorum proximé sequitur. Tum indulgentiæ sparguntur quibus liberantur animæ a Purgatorio, siue id fiat per iurisdictionem, siue per modum suffragij, vt loquuntur: Hac enim de re adhuc certatur Ita decurtatum est beneficium Christi, vt locus esset questui; Nam quis emeret a Papa liberationem a pœna, cui persuasum esset Christum pro nobis plene satisfecisse?

II. In eundem finem valuis templorum & compitis vrbium affiguntur programmata conti-

nentia

nentia indulgentias Papales, per quas remissio peccatorum in hoc aut illo templo ponitur, ne quis sit tam vecors vt alibi quærat remissionem peccatorum quam vbi Papæ placuit eam locare. Nam si plures orationes & ardentiores alibi conceperis quam vbi Papa vult eas quæri, frustra eris, nec consequeris promissam remissionem. Diplomati vero indulgentiarum semper addita est clausula quasi succentiuum carmen: concedi has indulgentias *manus porrigentibus adiutrices.* Ad quas populi sportulas, seu collatitiam stipem excipiendam, positæ sunt pro templi foribus arcæ, operculo perforato, in quas ingeruntur nummi.

III. Iubileus est ἐπιτέχνησις Imperij Papalis, & quasi spirituale congiarium. Isto anno, qui vigesimo quinto quoque anno recurrit, Papa aperit, thesaurum indulgentiarum, constantem τῷ περισσῷ seu superabũdanti satisfactionũ Christi, sanctorũ, & monachorũ, & plena, plenior, ac plenissima (vt loquũtur Canonistæ) indulgentia datur visitantibus stationes Romanas, diebus triginta continuis aut intermissis. Sed ij qui sunt participes huius spiritalis liberalitatis, rependunt vicissim nummos aliquot & oblationes sub titulo eleemosynæ, quæ datur non pauperibus, sed diuitibus: non flentibus, sed cantantibus, id est monachis quibus vita otio & cantu traducitur. Dici nõ potest quantã messim vrbs Roma tunc faciat, quãtũ locupletentur templa oblationibus peregrinorũ qui Romam omni ex parte concurrunt. Ideoque impedire Romipetas ponitur inter casus reseruatos, id est scelera atrocissima quorũ remissio soli Papæ

Extrau. de Cœna Domini.

Papæ reſeruatur: nam homicidij, adulterij, & eiuſmodi minorū criminū quibus ſola Dei lex violatur, remiſsio a presbyteris & Epiſcopis vulgo cōceditur. Quo loco ſubit animum non mediocris admiratio, cum cogito quanta ſit Italorū & Romanorum prærogatiua, & ad ſalutem πλεονέκτημα: vtpote qui remiſsionem peccatorum habent ſub manum & in propinquo: At Hiſpanis, Polonis, Hibernis, iter immenſum & ſumptus par labori. Sed & melius agitur cum diuitibus quibus eſt equus & valetudo integra: nam pauperes & languentes, ſumptibus deterriti, & labori itineris impares tam larga Indulgentia fraudantur. Quod ſi creditur inſtitoribus, quiſquis moritur ſtatim a Iubileo rectâ in cœlum euolat, immunis & liber a purgatorio, qui ſi paulo ante Iubileum e viuis exceſsiſſet, fuiſſent ei luendæ pœnæ, quarum in Iubileo remiſsionem adeptus eſt.

4 Sequens annus transfert Iubileum in alias regiones, & ſic circunfertur hoc mercimonium. Tunc in duabus aut tribus vrbibus Galliæ locatur Iubileus, & par ſtationibus Romanis indulgentia. Hic vero obſerua bonorū virorū induſtriam. Neq; enim temere fit quod Iubilæus non in omnibus Galliæ vrbibus aut templis locatur: ſed id fit, quia pecunia in vnum locum coarceruata facilius cōuertitur in vſus quos iubet Pontifex, quā ſi per infinita loca diſperſa, & a varijs collectoribus tractata euaneſceret. Ergo videas miſerādæ plebis agmina deſerere cultū agrorū, officinas, & ciuilia munia, & ſuſcipere lōgū iter, vt ad præſtitutū tēpus ſiſtāt ſe ad obtinēdā remiſſionē peccatorum.

5 Sed

Sed et prouisum sedulò ne quis diues vili pretio moreretur. Persuaserunt enim populo bene consuli animæ si moriens emat Missas anniuersarias, scribens Ecclesiam hæredem. Certe in hoc aureo seculo genus est solatij posse pacto pretio, bona fide, admitti in regnum cœlorum. Hic quis miretur si infinitas hac arte opes corrasarint? nam quis damnatus ad ignem, non redimat vnius horæ cruciatum iacturâ totius patrimonij? quanto magis cum redimenda est anima a cruciatu ignis multis sæculis duraturo?

6 Lepidum vero cauponationis genus, dare certis templis altaria priuilegiata, ad quæ Missa dicta certo die anni liberat aliquam animulam de flamma purgatorij ad eius optionem qui Missæ pretium exoluit. Nam Missæ alio die aut loco cantatæ non haberent eandem efficaciam. His artibus mors ipsa facta est vectigalis Pôtifici.

7 Sed & viuentibus venduntur Missę priuatæ, & presbyter duabus drachmis conductus, in templi angulo Christum creat & patri immolat, in gratiam Titij aut Mæuij. Nam sperare vt Missæ priuatæ canantur gratis, aut in eius gratiam qui nihil porrexit, summa esset stultitia.

8 Quid quod inuenta est via commutandi pœnas corporeas in pecuniarias, & ieiunia ac peregrinationes in nummos? Canon Presbyter Distinctione 81. hæc habet. *Sciendum est quod secundam feriam vnum psalterium canendo, aut vnum denarium pauperibus dando, si opus est, redimere poterit.* Et ibi Glossa. *Denarium potest dare vt se redimat a ieiuno. Ergo multo fortius per alterius ieiunium*

potest

potest liberari. Taxa Cancellariæ in littera A. fol. 3. *Concessio quod laicus non teneatur ieiunare diebus quibus per Ecclesiam astrictus existit* 5 *grossis* 20. & fol. 4. *Commutatio voti emissi per laicum de visitando limina Apostolorum. gros.* 12.

9 Vel ex minimis rebus aliquid pecuniolæ corrogatur. Venditur apertio terræ, id est licentia sepulchrum fodiendi in loco sacro, tum sonus campanarum, & nominatio tacita in Missæ loco qui vocatur *Memento*. Missæ sunt cariores aut viliores pro maiori aut minori apparatu. Et grandioris campanæ sonus carior. Videas locupletibus ægris frequentes monachos assistere. Quatuor ordines mendicantium funus prosequi: Missis & cantu & nolarum sono omnia perstrepere, vt iam minori pretio viuatur, quam vita finiatur. At circa pauperem moribundum summa solitudo: Effertur cadauer furtim, nullis precibus, nullo sacrificio, pauperi animulæ nullo cantu parentatur: sat ei participem esse generalium precum: at diuiti impenduntur insuper missæ precesque priuatæ, & indulgentiæ Papales a superstitibus procurantur.

10 Magnum quoque aucupium ex cultu sanctorum, & reliquijs sanctorum suppositijs. Itur magno concursu ad reliquias S. Dionysij, sitas ad secundum lapidem ab vrbe Lutetiæ. At Baronius tomo Annalium vndecimo ad annum 1052. profert Epistolam Leonis. IX. pronuntiantem corpus S. Dionysij falso credi esse in Gallia, cum sit Ratisbonæ in Germania. Hunc Dionysium perhibent esse Areopagitam illum coæ-

uum

uum Apostolis qui passus est (vt volunt) martyrium sub Domitiano. At Sulpitius Seuerus antiquissimus Galliæ historicus contra est, sic loquens lib 2. historiæ. *Sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata, at tunc primum intra Gallias martyria visa; serius trans Alpes religione transgressa.* Hic Marcus Aurelius iniijt Imperium, anno Christi 162. Septuaginta circiter annos post mortem Dionysij. Quis vero fuerit Dionysius iste Parisiensis Episcopus, docet Gregorius Turonensis lib. 1. cap. 30. Pari errore itur Compostellam oppidum Callaicorum, ad visitandas Iacobi Apostoli reliquias ibi conditas, nam dicitur venisse in Hispaniam sub Lupa regina, & Euangelium in eam regionem primus intulisse. At Innocentius Papa Dist. 12. Can. *Quis nesciat.* negat quenquam Apostolum venisse in Italiam, Hispaniam, Galliam, Africam, præter Petrum eiusque successores. Et Iacobi cita mors, sub Herode Agrippa Act. 12. tempus illi ad eam rem abstulit. Nec tacuissent veteres. Nec fuit tunc temporis vllus Rex aut Regina in Hispania; cum redacta esset in formam prouinciæ. Ipse Baronius in Martyrologio ea de re tam frigide loquitur, vt proprior sit non credenti: & tamen homines ad eiusmodi reliquias quasi ad æris tinnitum apes conuocantur: vnde opes infinitæ congestæ, & immensa donaria.

Ioh. Beleth. & Iacobus de Voragine.

11 Adde Imagines διοπετεῖς, aut ab Angelis translatas, vt Mariam Lorettæ, Montis Serrati, &c. Festa sanctorum sunt quasi dies sacrarum nundinarum. His diebus imagines cultius ornantur,

nantur, & virgo Maria veste splendidiori amicitur.
In eundem finem inuenta sunt mille discrimina ciborum, nempe vt venderentur dispensationes. Tum prohibitiones matrimoniorum in gradibus verbo Dei concessis, qualia sunt matrimonia patruelium, consobrinorum, & inde prognatorum vsque ad quartum gradum: Nam quo plures sunt prohibitiones, eo frequentius petuntur gratiæ & permissiones: ex quibus semper aliquis ad Pontificis institores fructus peruenit. Non quidem ipsi Papæ pecunia in manum numeratur, sed sunt Datarij, Bullistæ, & eiusmodi hominum genera qui redemptos habent hos prouentus, & semel Papæ hac soluunt in solidum.

13 In ipsos clericos se extendit rapacitas, nummos vndecunque conuerrens. Nam a Clericis Papa capit Annatas, & fructum ex commendis, vnionibus, applicationibus, prouisionibus, indultis, altaribus gestatilibus, dispensationibus ætatis aut vitij corporalis, &c.

14 Sed nulla insignior cauponatio quam venditio pallij Archiepiscopalis. Fit autē hoc modo. Monachi & moniales Sæ. Agnetis Romæ offerunt quotannis duos agnos albos quos locant super altari, quando in Missa canitur Agnus Dei. Ex horum lana fiunt pallia alba lata digitos tres, ab anteriori parte & posteriori propendula ad longitudinem palmi, limbo assuuntur lamellæ plumbeæ, quarum extremus orbiculus nigro serico tegitur. Hæc pallia imponuntur feretro Petri & Pauli sanctorum: Petit autem pallium Prælatus vel eius Procurator a summo Pontifice instanter, instanti-

us,& instantissimé hæc enim sunt solemnia vocabula. Si sit opimus Archiepiscopatus qui recipit pallium soluit ad minimum viginti aut triginta millia ducatorum. lib. 1. Sacrarum Cæremon. Sect. 10 cap. 8 *Componitur cum subdiaconis tenentibus pallia qui accipiunt secundum valorem & taxam Ecclesiæ, aliquando plus, aliquando minus pro centenario.* Successor non potest vti pallio sui decessoris, etsi paucis diebus post acceptionem pallij e viuis excesserit, sed cogitur emere nouum pallium.

15 Hispani & Indi & quotquot fere, subsunt potentissimo Regi Hispaniæ coguntur quotannis emere bullam remissionis peccatorum Pretium bullæ, duæ regales, id est tres drachmæ. Ne fraus fiat legi inquisitorum cura est Naues Hollandicæ non semel captis nauibus Hispanicis petentibus Americam, cùm putarent eas onustas pretiosis mercibus, nil nisi bullas eiusmodi & quisquilias inuenerunt, quæ ad miseros Indos mittuntur, emendæ a singulis. Ita se vltra nostrum orbem hæc mercatura extendit.

16 Sic restes precatoriæ vulgares vix æstimantur teruntio priusquam a Papa fuerint benedictæ, qui eas congestas in pilas certo anni tempore benedicit. At post hanc consecrationem sunt in maiori pretio & carius emuntur: ideoq; Roma in varias regiones exportantur.

17 Sed nulla vnquam tam fœda nundinatio inuenta est, nec vsquam tanto scelere illusum est generi humano quam Taxis Apostolicis. Extat liber inscriptus. *Taxæ Cancellariæ Apostolicæ & taxa sacræ pænitentiariæ itidem Apostolicæ,* excusus Lutetiæ

Lutetiæ a Tossano Dionysio, in platea sancti Iacobi ad crucem ligneam prope sacellum Diui Iuonis anno 1220. addito Priuilegio Regis & bulla Papæ Pauli. Quo libro pretia sunt posita dispensationibus, absolutionibus, reuocationibus, exemptionibus; & mille mercimonijs eiusmodi quæ longa serie in fronte libri enumerantur. Quarum taxarum pauca quædam capita proferre satis erit. *Concessio quod proponens verbum Dei in præsentia regis, possit dare indulgentiam præsentem gros.* 12. *Absolutio in mortis articulo pro vno in forma gros.* 14. *Littera qua quis participare possit cum excommunicatis & hæreticis gros.* 8. *Fol.* 13. *Quod non obstante defectu oculi & ætatis possit ad Episcopatum promoueri gros.* 10. *Fol.* 14. *Indulgentia tertiæ partis peccatorum. gros.* 100.

Prodigiosa hæc sunt, titulo de matrimonialibus, fol. 23. *Dispensatio de contrahendo in cognatione spirituali. gross.* 60. *Expediui tamen vnam pro grossis* 50. *Sed de gratia. Idem est iudicium in secundo gradu: & componitur cum Datario in maxima summa, aliquando trecentorum & etiam sexcentorum grossorum, & alias iuxta qualitatem personarum, & nota diligenter quod huiusmodi gratiæ non conceduntur pauperibus quia non sunt, ideo non possunt consolari.* Non leuiora hæc sunt titulo de Absolutionibus. *Absolutio pro eo qui in Ecclesia cognouit mulierem gr.* 6. *Absolutio pro eo qui matrem, sororem, aut aliam consanguineã vel affinem suam aut commatrẽ carnaliter cognouit. gr.* 5. *Absolutio pro eo qui virginem deflorauit. gr.* 6. *Absolutio pro periuro. gr.* 6. *Absolutio pro eo qui falsificauit litteras Apostolicas gros.* 17. *vel.* 18. *Absolutio pro eo qui interfecit pa-*

trem, matrem, &c. grof. 5. vel. 7. Dispensatio pro presbytero præsente vel absente qui abscidit suos testiculos. grof. 16. Dispensare potest pœnitentiaria in primo gradu affinitatis in foro conscientiæ: & littera venit ducatos 9. grossos 6. Pro mortuo excommunicato pro quo supplicant consanguinei litera absolutionis venit ducat. 1. carol. 9. Infinita sunt eiusmodi quæ castis pudorem, bonis horrorem incutiunt. At nunc pretia aucta sunt. hæc enim vetus est taxatio.

Tantis & tam varijs technis hi æruscatores ad se traxerunt quicquid est toto orbe Christiano opimum, prædia, fundos, castella, vrbes, Baronias, Comitatus, iurisdictionem ciuilem, præter infinitam vim pecuniarum quam quotidie corrogant, vt iam regum opes præ horum opulentia sint mera paupertas & nobilitas nostra exhausta, videat cum gemitu prædia suæ familiæ a monachis possideri, nulla spe redhibitionis.

Qua de re pleni sunt libri Pontificiorum querelis, quæ collectæ iustum volumen efficerent. Legantur libri Bernardi de Consideratione ad Eugenium. Epistolæ & carmina Petrarchæ: Mantuanus Poeta. Historici Matthæus Paris, Westmonasteriensis, Abbas Vspergensis in vita Imperatoris Philippi, Theodoricus a Nihem 6. tractatu cap. 37. Præcipue vero centum grauamina nationis Germanicæ quæ insertasunt fasciculo rerum expetendarum fol. 176. Mihi satis sit duos testes adducere omni exceptione maiores. Papa Pius II. qui & Æneas Syluius Epistola 66. ad Iohannem Peregallum. *Nihil est quod absq; argento Romana curia dedat, ipsa manuum impositio & spiritus*

sancti

sancti dona venduntur: nec peccatorum venia nisi nummatis impenditur. Accedat Glossa Decretalium Cap. fundamenta Titulo de Electione in 6. *Roma fundata a prædonibus, adhuc de primordijs retinet. dicta Roma quasi Rodens manus.* Quæ inserta esse libro tam sacro & Authentico, quo continentur Papæ oracula non possum equidem satis mirari.

III. Quibus Artibus Papæ & Clericorum dignitas in immensum excreuerit.

I. Res fuisset sordida, opes sine honore. Idcirco Papa voluit vocari Deus, Sponsus Ecclesiæ, Episcopus Vniuersalis, Rex, caput Ecclesiæ &c. Idcirco & voluit adorari, & cum olim honoris ergo, omnes Episcopi compellantes suos coepiscopos, dicerent *Vestra sanctitas*, Papa tandem effecit vt solus SVA SANCTITAS appellaretur, quod sane vnius Dei est proprium. Huc refer oscula pedum. Reges ad fræna, Imperatorem & Reges iurantes in eius verba, & lambentes eius vestigia, & in missa Papali implētes* munus subdiaconi. Opinionem ἀναμαρτησίας in fide, & * omnia iura in scrinio pectoris. Titulum summæ potestatis in cœlo & in terra. Reges feudatarios sedi Apostolicæ, & in pompis ac conuiuiis, cedentes Cardinalibus. Quibus subtexitur axioma illud quod est lib. 3. Cæremoniarum Sacrarum sect. 1. cap. 2. *Romanus Pontifex nemini omnino mortalium reuerentiam facit.* Quippe maior genere humano. Quibus si addas potestatem remittendi peccata, non tantùm ministerialiter sed iudicis potestate, nec non potestatem eruendi animas flammis Purgatorij & in cœlum

** Vt Carolus 8. Galliæ Rex præstitit Alexandro 6*

** Tit. 2. de Constit. in 6. c. Licet.*

 trans-

transmittendi. Regna dandi & adimendi, Cœlum claudendi & aperiendi. Defunctos inferendi in album sanctorum. De rebus fidei summa authoritate & sine prouocatione iudicandi. Quibusdam conferendi gradum felicitatis cœlestis eminentiorem. Festa toti orbi Christiano indicandi. Tempora & anni cursum immutandi & amputandi. Deniq; in Missa Papali Papam sæpius & maiori reuerentia adoratum quam ipse Deus quem habet præ se, vt prolixe docetur lib. 2. Cærem. Sect. 1. cap. 14. & in solemni processione Deum impositum equo circunstantibus ciuibus Romanis præeũte laterna, dum Papa gestatur humeris Imperatoris & Regum vt docetur lib. 1. sect. 2, cap. 3. facile comperies, quicquid post homines natos fuit vnquam dignitatis & gloriæ rẽ esse vilem & sordidam si cum Papæ immensa potestate conferatur.

2 Per dogma vero Transsubstantiationis, presbyterorum & Episcoporum dignitas immensum quantum aucta est: quippe creduntur Christum ipsum facere, & creare suum creatorem: quem clausum tenent hierotheca quam ciborium vocant, & paruo pretio addicunt. Præ hac potestate parua est potestas Angelorum & Sanctorum, & ipsius Beatæ Virginis. Nam si quoquot sunt Angeli & sancti in vnum conferant suas vires, non possint facere Christum quippe qui iam factus est: Ecquis hodie potest generare Robertum Bellarminum, aut facere hunc ipsum solem qui nobis lucet? Super qua re insignia sunt verba Bessij Eleemosynarij & Prædicatoris Celsissimi Principis Condensis ca. 3. primi libri de dignitate Presbyterorum *Creatura paru-*

it

at Iosue, at presbyteris Creator: Sol illi, at his Deus quotiescunq; sacra verba pronuntiant. Et paulo post. *Sacerdotium & diuinitas habent nescio quid commune, sunt eiusdem magnitudinis, quandoquidem sunt eiusdem potestatis.*

3 In eundem finem calix ademptus populo solis presbyteris & Regibus ac Principibus est concessus: vt hac arte Clerici regibus æquarentur. Parique astu Imperatores & Reges facti sunt Canonici quarundam Ecclesiarum Cathedralium, nempe vt Clerici Reges in suum sodalitium asciscerent: & Papa tantum emineret supra Reges, quantum antestat Canonicis.

4 Accessit confessio auricularis, maximum Clericalis dignitatis firmamentum. Per eam enim timentur presbyteri, & confessarij non modo a plebe, sed & à viris & fœminis Principibus, quorum norunt arcana, & domesticas labes si quæ sunt, & pertentant consilia. Quin & certissima hæc est instillandi scintillas rebellionis in populi animos, vt nuperis experimentis apparuit. Mitto inquisitiones inhonestas, & quæ fœminis honestis ruborem incutiunt: tum quod hac arte agnoscunt eas ad quas facilis accessus, ingens libidinis incitamentum.

5 Confessionem excipit absolutio per quã clericis parta ingens authoritas, & non modo in conscientias, sed & in ipsa corpora & fortunas imperium. Homines enim τὰ ἁμαρτήματα ἐξομολογήσαντας confessos sic soluunt peccatis, vt illigent pœnis, dantque remissionem peccatorum peccatori ea lege vt peregrinationem aliquam obeat, vel aliquam pecuniæ

summam

summam conferat in pios vsus vel ad macerandam carnem duriter cubet, aut aquam bibat, aut se fune sub interula præcingat, aut ipse se virgis diuerberet. Gallici Annales Nicolaj Ægidij ad Annum 768. testantur Robertum Normannum cognomento Diabolum has pœnitentias obiuisse: Silentium ei est indictum per annos septem: tum pernoctatio ad scapum cochleæ, cibus vero ossa rapta ab ore ieiunæ canis. In Regis præcipue Papa hanc potestatem impotenter exercet; quibus in peccatum aliquod lapsis Papa dat absolutionem sub conditionibus duris, & redundantibus ad Regis regnique opprobrium: Nam aut tergum eorum flagris conciditur cædentibus Monachis, aut tributum eis imponitur quod Papæ expendant, regnumque eorum fit feudum sedis Romanæ. Aut iubentur conscribere copias ad defensionem & ampliationem Ecclesiæ Romanæ, id est papalis imperij: cuius tyrãnidis aliquot exempla ante protulimus.

6 Sed & monachis & clericis partus honos & reuerentia per opera supererogationis. Nam per hæc affectant gradum in regno Cælorum supra cæteros: quorum hæc vna laus fuit, mandatis Dei obsequi: consilijs perfectionis insuper habitis. At hi plus præstant quam Deus postulat, Ergo & cumulandi maiori gloria. Nec in alium finem inuenta sunt merita de congruo Ethnicorum & infidelium vt per gradus ad culmen hoc operum supererogationis veniretur. Nam Ethnici merentur de congruo, ac plebs fidelium meretur de condigno, vt plane futurus sit iniustus Deus nisi eorum merita remuneretur. Supra quam tamen perfectionem longe

longe eminet iustitia monachorum facientium plura & meliora quam Deus iubet.

7 Quid quod satisfactionibus & pœnis superabundantibus satisfaciunt Deo vltra debitum? quod πλεῖον, & quasi de mensuræ cumulo superfluens ne inutile esset Papa pro sua prudentia prouidit, voluitque id cedere alijs in remissionem pœnæ commeritæ, sic dispensante spirituali œconomo, qui quæ his supersunt, vertit ad supplenda aliorum ὑστερήματα. Ita res à Pontificibus sub lege, & ab Apostolis sub Euangelio neglecta, cœpit noua frugalitate in vsum conuerti & in Ecclesiæ thesaurum recondi: Nam satisfactiones superabundãtes Noæ, Abraham, Iacobi, Samuelis &c, a Pontificibus aut Apostolis collectas, aut thesauro Ecclesiæ illatas, aut in remissionem alienorum peccatorum conuersas nusquam est proditum.

8 Non omittendum est quod genus hominum solers, naturam ipsam & casum in religionem vertit. Si terra aperto sinu emiserit scatu-riginis venã, cuius vis sit diuretica aut styptica aut vtilis renibus vel stomacho, statuitur ad caput fontis imaguncula, & ædificatur ædicula, vt eo veniant homines venerabundi, & credant id fieri ope alicuius sancti quod fit per naturam. Quem morem repetitum ex vetusto, notat Iustinus Martyr Apologia secunda, vbi ait Ethnicos solitos ἀνεγείρειν τὸ εἴδωλον τῆς λεγομένης Κόρης ἐπὶ ταῖς τῶν ὑδάτων πηγαῖς.

Excitare imaginem Proserpinæ ad aquarũ fontes.

9 Iam diximus Liturgiam, precesque tum publicas tum priuatas lingua Romana conceptas esse quasi stemma Romani Imperij papalis & nostræ seruitutis argumentum:

10 Eius-

10 Eiusdem farinæ est quod cum Episcopis & Pastoribus fidelibus Christus dederit facultatem soluendi in terris, Pontifex non contentus hac potestate voluit insuper soluere sub terris & sibi tribuit potestatem soluendi animas carcere Purgatorij.

11 Tum illud, quod cum omnibus Ecclesiæ Pastoribus Christus cõcesserit hanc potestatem vt quicquid soluerint in terris soluatur in cœlo, Papa cæteris Episcopis potestatem istam accidit. Sunt enim quædam grauiora crimina quorum absolutionem sibi Papa reseruauit, quæ idcirco vocantur casus reseruati. Hæc peccata nemo cis Alpes potest condonare, nisi forte in mortis articulo. Atque vt scias, quæ sint enormia illa scelera quæ Episcoporum potestatem excedunt: non sunt de hoc numero adulterium, parricidium, incestus, aut atheismus, aut pædicatio, aut eiusmodi minora crimina quib. tantùm lex Dei violatur: sed longe maiora quibus Papalia iura violantur, aut prouentus auertuntur, aut auctoritas minuitur: qualia sunt, imminuere libertates Ecclesiasticas, conspiratio in Romanum Pontificem, Offensa personalis Episcopi aut presbyteri. Impedire romipetas, id est venientes ad stationes Romanas; Prohibere deuolutiones causarum ad sedem Romanam. Et cætera quæ recensentur Bulla *Etsi Dominici*, de Cena Domini, quæ est inter Extrauagantes. Sic hodie maledicere Papæ grauius putatur quam blasphemare in Deum. Et si quis sacra hebdomade carnem gustauerit, grauioribus pœnitentijs oneratur quã si hominẽ occiderit.

His opinor liquido constat ex ruderibus & rui-

nis

nis Euangelij extructum esse thronum Pontificis Romani: & singulos articulos fidei flexos & aptatos vt essent columnæ & firmamenta Papalis imperij. Sed reliqua videamus.

IV. Quanta prudentia sit adhibita ad rerum partarum conseruationem.

Nulla in re se tam exeruit Papæ & Prelatourm industria, quam in prouidendo ne quid ipsis de summa decederet, & ne opes tanto studio congestæ diriperentur a laicis, aut dilaberentur clericorum incuria.

1 In hoc artificij genere primas tenet celibatus clericorum, ne Episcopi & clerici opes Ecclesiæ interuerterent, & quasi de canali publico riuulum in suam familiam deriuarent, ad ditandam vxorem aut liberos. Neq; id obscure fert Gregorius I. can. De Syracusanæ. Dist. 28. Sic loquens. *Vxor* (inquit) *superstes aut filij per quos Ecclesiastica solet periclitari substantia.*

2 At ne in clericorum criminibus, magistratus inuolaret fundos & bona Ecclesiastica, & eorum bona fisco aut ærario addiceret, Papa dedit clericis immunitatem a seculari potestate, suum forum, suos Iudices peculiares, suos carceres, & prouocationes Romam. Ecclesiam quoque (id est clericos) quamuis in cæteris regnantem, voluit in pactis & conuentis semper esse pupillam & annis minorem, vt semper ei daretur restitutio in integrum, si forte in contrahendo formula excidisset, aut aliquid in suam ipsius fraudem fecisse inueniretur.

3 Ac ne Reges & Principes aut quilibet laici se immiscerent negotijs sedis Pontificiæ, electio Pa-

pæ

pæ quæ olim suffragijs populi Romani peragebatur redacta est ad exiguum numerum Cardinaliũ, qui cœnaculo tenebricoso includuntur, oppessulatis foribus, muratis fenestris, vt ne soli quidem ipsi arcana eorum pateant.

4 Quia autem clerici & monachi peculiari modo,& arctiore subiectionis vinculo sunt Papæ obnoxij, Papa eos studuit esse maximo numero. Inde tot religiosorum ordines, tot monachorum mandræ, quæ in sola Gallia decem iustos exercitus complerent. Quin & Bonifacius VIII. Tit. de clericis Coniugatis in 6. ad ampliationem numeri clericorum, voluit clericos coniugatos frui priuilegio clericorum, vetuitque ne coram seculari iudice conuenirentur. Additi sunt equites Rhodij Templarij, Ierosolymitani, cælibes, deuoti Pontifici.

5 Sed & per fratrias, & societatem corporatorum quam vocant confraternitatem laici allecti sunt clericis & facti pene clerici. Tales sunt confraternitates Rosarij & funiculi: quibus qui se adiungunt, veniunt in partem meritorum & operum ac satisfactionum, quæ fiunt a tota societate. Addidit Papa societati indulgentias, quarum quisquis est particeps leuius vritur in Purgatorio, & tormenti spatium eiacciditur. Sed mendicus, aut baiulus, aut homo destitutus omnibus fortunis raro ad eiusmodi societatem admittitur.

6 Sed quia quantumcunque augeatur numerus clericorum, semper tamen laici sunt plures, qui arma tractant, & si vi res geratur, clericos facile confecturi: commodissimo consilio, præcipuas laicorum

eorum familias sibi deuinxerunt, & vocauerunt in partem prædæ. Si enim alicui Principi aut viro nobili fuerint plures liberi, quorum numerus oneret familiam sumptibus, & hereditatem in plurima frustra discerpat, vnus aut alter de hoc numero initiabitur sacris, aut ei dabitur pileus coccineus, quanquam apprimè puero, vel fiat Abbas aut Prior: Idem fiet filiabus; nam de pluribus sororibus, aliquot coactæ profiteri virginitatem, includuntur cœnobio, ingens familiæ leuamentum. Quin & ipsis Magistratibus & senatoribus quamuis vxoratis datur indultum, per quod fiunt capaces obtinendorum beneficiorum, vt hoc vinculo sedi Romanæ obstricti & obnoxii teneantur.

10 Veruntamen ne Reges & Principes secum durius agi, aut nullam sibi pro tam facili & supina liberalitate gratiam referri, conquerantur, Inuenit Papa viam eos largiter remunerandi. Impertitur enim bonis Principibus munuscula: rosam benedictam, ensem sacrum, vexillum militare: agnos cereos, quorum præcipua vis in auerruncandis cladibus, in auertendis tempestatibus & fulminibus, in propulsandis morbis, in obliterandis peccatis, in fugando diabolo. Tum Regij Legati Româ redeuntes referunt ad suos dominos arculas offertas sphærulis benedictis, quæ insertæ filo & ad osculum relatæ, additis aliquot Pater & Aue, conferunt ad salutem, & dant centum aut ducentos annos veræ indulgentiæ. Illud vero longe maximum quod Principibus datur prærogatiua libandi calicem in Missa, tum munus subdiaconi, præsente Papa, & admissio in societatem Canonicorum.

Hæc

Hæc quis non stupeat legens? quis non admiretur consutos dolos? quis non fatalem stuporem populorum lamentetur? quis non ingemiscat seruituti Ecclesiæ, & corruptioni Christianismi, qui veterem faciem amisit dum ipsa fides Christiana vertitur in præsidia Imperij terreni? et regnum spirituale Christi mutatur in Monarchiam temporalem?

FINIS.

